VITÆ
SS.
WILHELMI ABBATIS
HIRSAVGIENSIS
ET
WILHELMI GELLONENSIS.

Nunquam adhuc editæ, ex MSS. codicibus erutæ,
commentario & notis illustratæ

AVCTORE

F. CAROLO STENGELIO ORD.
S. BENEDICTI MONASTERII
SS. VDALRICI & AFRÆ Aug. Vind. professo.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,
ad insigne pinus.
Apud Chrysostomum Dabertzhofer.

Anno M. D C. XI.

VITÆ

ET

WILHELMI ABBATIS HIRSAVGIENSIS

ET

WILHELMI GELLONENSIS.

Nunquam adhuc edita, ex MSS. codicibus eruta,

commentario & notis illustrata

A

FRANCISCO STEINGELIO ORD. S. BENEDICTI PROFESSO.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,

ex officina typographica

Apud Christophorum Dabertzhofer.



ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. STEPHANO CELEBRIS MONASTERII SCHIRENSIS IN BAVARIA ABBATI Religiosissimo.

PRæclarè vt omnia, meo quidem animo, clarissimum Orientis lumen D. Basilius scriptum reliquit, Admodum Reuerende in Christo Pater ac Domine, *quemadmodum pictores quum imagines ab imagine pingunt, idemtidem exemplaria spectantes, illorum lineamenta ad sui opificij vsum transferre studeant: Sic qui se studeat omnibus virtutis partibus perfectum efficere, debet elaborare, vt quasi ad simulachra motu & actione prædita vitas sanctorum sæpe oculos conuertat.* Magis enim mouent *exempla* quam *verba*; & plenius *opere* docetur quam *voce*. Nam vt orator Christianus elocutus est: qui docent tantum, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt. Bonum est autem recta & honesta præcipere;

Epi. ad Greg. de vita solitaria.

Arist. lib. 10. Ethic.

Leo P. in ser. de ieiunio.

Lactant. l. 3 diuin. instit.

sed nisi facias mendacium est, & incongruens atq; ineptum, non in pectore, sed in labris habere bonitatem.

Claudian. *Scilicet in vulgus manant exempla regentum.*

lib. 1 Dia. Constat igitur, etiam magno illo D. Gregorio teste, nonullos esse, quos ad amorem cœlestis patriæ plus *exempla* quam *prædicamenta* succendant. *Est* autem *exemplum alicuius facti, vel dicti præteriti cum certi*

Cic. lib. 2. Rhet. *auctoris nomine propositio.* Eam ob causam nostri maiores, qui veræ fidei ac virtutis magistri extiterunt, Sanctorum virorum dicta, facta præclarè gesta, non eò tantum memoriæ cõmendârunt, vt scirentur, sed multò etiam magis, vt minoribꝰ suis stimulos quosdã & aculeos adderent, eadẽ præclara facinora & virtutum insignia opera æmulandi, atq; pro viribus imitandi. *Optimum* namq; *est maiorum sequi vestigia, si rectè præcesserint.* Idipsum quoq; veteres veræ fidei ignari, rectè intellexerunt; *Maiores natu*, inquit Valerius Maximus, *in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitanda virtutem iuuenum alacriorem redderent. Quid hoc splendidius? quid hoc vtilius certamine? Pubertas carnis suum decus reddebat, defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam fauoris nutrimentis prosequebatur.*

Seneca. lib. 2.

Quæ omnia dum studiosius mecum perpendo, non iniuria sæpè animo commoueri soleo, tam multa

multa nimirum & præclara maiorum noſtrorum monumenta, non ſolum negligi, & blattis atque tineis pabulum relinqui, ſed aliquando etiam crudeli imperitorum & impiorum manu lacerata, vel igni abſumi, vel, ſi mitius agitur, cucullum piperi facere.

Id niſi factum eſſet aliquoties, haberemus profectò, vel in hac noſtra BENEDICTINA familia, multò plura & quidem præclariſſima monumenta, quibus noſtrates ad virtutis ſtudium, & religionis augmentum, vehementius, quam ſtimulis quibuſdam incitati, commouerentur. Ijs igitur de cauſis, ego incitatus, nequaquam committendum eſſe cenſui, vt hæc duo clariſſima BENEDICTINÆ religionis lumina diutius in obſcuro poſita delitescerent, ſed publicã lucẽ adſpicerent, & omnibus qui in domo DEI ſunt, fulgidiſſimam ſanctiſſimorum exemplorum facem præferrent. Hiſtorias autem ipſas, vt à primis Auctoribus ſunt cõſcriptæ, intactas reliqui, neq; enim me latet, quid viri docti ſentiant de ijs, qui primum & germanum ſtylum, quia rudis erat, in politiorem mutârunt; ex quo factum aiunt, vt vitæ auctoritas ſit imminuta, & hiſtoriæ veritas ſubindè labefactata, dum quædam non ritè intellecta, in alium ſenſum vertuntur. Notas tamen & commentarium breuem addidi, quo hiſtoriæ ipſæ magis illuſtrarentur, & ob variarum rerum illuſtrationem, ad legen-

dum quique amplius afficerentur. Cur autem huic qualicunque opellæ R. T. P. in Patronum ex humanitate & beneuolentia præsertim admodum Reuerendi nostri prælati & præsulis amplissimi sit adscita, præter ceteras causas, etiam hæc vna est, quod VVILHELMVS HIRSAVGIENSIS, cuius hîc vitam damus, eidē quasi iure suo optimo debebatur. Ille enim, vt vetusta literarum monumenta fidem faciunt, discipulum suum ERCHENVVOLDVM amplissimi vestri Cœnobij primum abbatē, cum duodecim sodalibus ex Hirsaugiâ transmisit, qui religione omniq; virtutum genere Schirense monasterium ad BENEDICTINI instituti normam fundarent, ac solidarent. Adiunctus est etiam alter VVILHELMVS vt nomine & instituto priori consimilis, ita etiā sanctis moribus & egregijs virtutibus eidem nequaquam inferior; eo fine, vt qui illius doctrinæ excellentiam, & feruentissimum zelum lucrandi animas assequi nequiuerit, huius animi demissionem, assiduum precandi studium, & perfectissimum fluxarum seculi rerum contemptum imitetur. Quos dum ita ceteris propono, propriæ infirmitatis meæ conscius, cum D. Gregorio, contestari cogor, ita dicente; *Dum monstrare, qualis debet esse pastor*, (BENEDICTINVS) *inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus.* *In pastor.*

Nec

Nec abnuo, me etiam ad hanc inscriptionem impulsum admiratione Virtutum R. P. V. quibus à primo statim tempore suæ administrationis effecit, ut doctissimorum & optimorum quorumq; virorum non solum amorem sibi conciliârit, verum etiam tantam de se spem fecerit, vt à plerisque (vide quantum pietati tuæ & religioni tribuatur) alter Monasterij sui futurus VVILHELMVS passim deprædicetur. DEVS Opt. MAX. R. V. P. diu saluam & incolumem suis, imò nobis omnibus, totiq; Ordini BENEDICTINO conseruare dignetur. Augustæ Vindelicorum, ferijs Diui Michaëlis ἀρχιστρατήγου Anno M. DC. XI.

Admodùm R. P. V. seruus in Christo

F. Carolus Stengelius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDE DOMINE CAROLE.

Vidi tuos VVilhelmos, vt ordinis professione, sic & sanctitatis laude gemellos. Benè facis, quod hac melioris æui testimonia & monumenta in lucem extrahis, & extracta notarum tuarum luce illustras. Antea tibi debebat VVicterpus Augustanorum Episcopus, tuo studio quasi renatus, & à tenebris vindicatus. Nunc simili opera debitores tibi feecisti duos VVilhelmos, Benedictinæ religionis duo lucida sidera, pergas, quo pede cœpisti, aliosq; tui memores merendo, hoc est sanctis tuis ad Deum precibus, & publicis scriptionibus facere ne desistas. Ingolstadij pridie S. Andreæ. M. D C. X.

Petrus Steuartius; SS. Theol. Doct. Professor, & Procancellarius ibidem.

IHS

INCIPIT VITA [1] S. [2] WILHELMI ABBATIS HIRSAVGIENSIS [3] COENOBII ORDInis S. Benedicti.

REVERENDISSIMVS Abbas VVilhelmus Bauariorum prosapiâ religiosis parentibus exortus, Christi aspirante gratiâ, piâ indole mentis accrescebat, quæ cunctis eum amabilem efficiebat. Puerili verò ætate ab eisdem honestis parentibus oblatus Deo in Monasterio [4] S. Emerammi Martyris, ceu prudens apis flores virtutum ex diuinis scripturis, & ab exemplis spiritualium seniorum carpebat, & in pectoris sui alueario recondebat. Et quamuis Monasticæ religionis vigor in eodem Cœnobio aliquantulum tepesceret, ipse tamen per gratiam Dei in eadem religione semper in melius proficiebat, vnde etiam ab incautis & negligentibus oppidò timebatur, à probis verò & pijs ob sinceritatem & puritatem vitæ nimium diligebatur. Deniq; diuina clementia illum comitante, tantâ ingenij excellentiâ pollebat, vt cum eminentiâ honestorum morum simul emineret studio [5] variarum artium. De quibus multa monumenta sui naturalis ingenij nobis reliquit [6]: Nam naturale Horologium ad exemplum cœlestis Hæmispherij excogitauit, naturalia solstitia siue æquinoctia & statum mundi, certis experimentis inuenire monstrauit, quæ omnia etiam literis mandare curauit.

1. 2. 3.

Patria S. VVilhelmi.

In pueritia sua sactus est monachus Ratisbonæ. 4.

Doctissimus in omni scientia fuit. 5.

Opuscula quæ post se reliquit. 6.

Multas etiam quæstiones de Computo probatissimis rationibus enodauit. Hic in [7] Musicâ peritissimus fuit, multaque illius artis subtilia antiquis doctoribus incognita elucidauit. Multos etiam errores cantibus deprehensos satis rationabiliter ad artem correxit. In [8] quadruuio sanè omnibus penè antiquis videbatur præminere.

7. *In septem artibus liberalibus fuit eruditissimus.*

8.

II. *De castigatione corporis sui.*

Soli autem Deo placendi cupidus, & carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigere aggressus, ieiunijs, vigilijs, asperitate etiam cilicij macerabat corpus. Sic ergò fide firmatum, spe roboratum, charitate radicatum & fundatum, omniúque morum probitate decoratum, prouidentia DEI omnipotentis Hirsaugiensi Cœnobio prouisorem destinauit ad solatium multorum. Denique fratres in eodem Cœnobio DEO seruientes, cum iam fuissent rectore [9] destituti, dulci eius rumore delectati, honestos [10] Legatos ad eum euocandum direxerunt. At ille caussâ cognitâ non se in superbiam extulit, sed ieiunijs & orationibus vacans, iunctis secum spiritualibus hominibus, Domini voluntatem hac in re quærendam statuit. Demum acceptâ licentiâ, licet boni quique ei congratularentur de honoris prælatione, sibi tamen dolebant quod carerent eius familiaritatis & affaminis prædulci solamine.

Absens eligitur Abbas.

9.

10. *Legatio mittitur ad Ratisbonam pro WILHELMO.*

III. *Non vult assumere monasterium nisi liberatū.*

Ille verò non quærens quæ sua sunt, sed quæ Domini, professus est, se non aliter omninò consensurum [11] electioni, nisi prius idem Cœnobium integræ redderetur libertati. Igitur quia in ius proprium hoc idem Monasterium Adelbertus comes & aduocatus eiusdem loci cum suis parentibus redegerat, & penè destruxerat, compertâ viri DEI constantiâ & magnanimitate, in omnibus se ei obtemperaturum simulabat. Cum eodem namque B. viro curtem [12] regiam adiit, ac sæculari astutiâ chyrographum infideliter composuit, illo nil sinistri præ columbinâ simplicitate suspicante, regioque sigillo illud firmari

11. *Comes WILHELMUM dolo circumuenit.*

12.

firmari impetrauit. Adueniente igitur Dominicâ Ascensione, quæ illo anno euenit IV. Nonas 13 Iunij cõuocatâ Cleri corum & Laicorum multitudine, omnium communi voto, hic venerandus electus, laudatus, & cum nimiâ inundatione fletuum in sedem Abbatis est collocatus. *83. VVilhelmus ordinatur Abbas.*

Quâ dignitate susceptâ cæpit cœlestis studij feruore tanto magis inardescere, quantò se cognoscebat ceteris exempli gratiâ prælatum esse, suumque sagax studium super omnia conuertit ad obseruationem religionis Monasticæ. Alacer erat in exhortando, seuerus in corripiendo. Nulli inuidus, charitate diffusus, & largitate extitit munificus. Cum grauitate dulcis ei affabilitas inerat, per quam cordibus humanis suauiter influebat. Negotium singulorũ ac si proprium æstimabat, peregrinos & pauperes paterno affectu fouebat, sæpissimè exutus propriâ camisiâ aliisque vestimentis miseri artus tegebat. IV. *Catalogus virtutum eius.*

Inter hæc ergò exercitia virtutum, quadam tentatione probatus est potius quam pulsatus, quæ probatio sibi quidem ad coronam, Hirsaugiensi verò Cœnobio ad stabilimentum & munimentum profuit. Nam supradictum chyrographum libertatis infideliter compositum, secretè sibi insinuante coniuge prædicti comitis resciuit, & sub obtentu prædictæ libertatis de pristinâ violentiâ ac subiectione iniustâ HIRSAVGIENSIS claustri nil minutum, sed potius auctum & roboratum. Tali autem perturbatione aliquantulum commotus propter statum loci, assiduis precibus & lacrymis interpellabat Dominum, vt de terrenæ potestatis iugo eriperet locum, quẽ pro suo amore susceperat regendum. Itaq; misericors Dominus, qui iuxta vocem Psalmistæ, *prope est omnibus inuocantibus eum in veritate*, ex improuiso eundem comitem tantâ circumdedit aduersitate, vt penè desperaret, vllum euadendi aditum se posse reperire. V. *Fraus comitis sancto innotescit abbati per comitissam.* *VVilhelmus amaro fit animo ex hoc.* *Psal. 144.* *Comiti tribulatio immittitur.*

Comes spiritualium quærit cõsilia.

reperire. Ita constrictus omni deuotione consilium & auxilium spiritualium virorum expetiuit. Qui dixerunt, eum non aliter euasurum tanta discrimina, nisi cum omni fide libertati redderet Hirsaugiensem locum, quem iniustè possederat. Quorum consilijs acquiescens, fide integrâ se abdicauit omni iure proprietatis eiusdem loci; & chyrographum cum omni diligentiâ secundum consiliũ timentium Deum componi fecit, priori chyrographo penitus deleto, atq; abiecto. Postquam autem venerandus Pater VVilhelmus proprio labore & industriâ [14] nouum chyrographum studiosissimè composuit, ipsemet illud Regi Henrico regio sigillo roborandum obtulit.

Comes monasterio in perpetuũ renũciat.

Comes abbatem literas conficere iubet vt Sult. 14.

Regi offertur testamentum Comitis & confirmatur.

VI. *Abbas VVilhelmus statuit ire Romam.*

Quo ad votum completo statuit etiã Apostolicam sedem adire, & priuilegium Hirsaugiensi Cœnobio secundum scita Canonum acquirere. Deinde iter aggressus, prospero cursu Romam venit. Ibi à Domino Apostolico beatæ memoriæ Gregorio benignè susceptus, cognitis caussis quorum gratiâ illô aduenerat, libentissimè (prout competebat) annuit. Nam priuilegium [15] Apostolicâ auctoritate plenum sibi contradidit, & ob munimentum Hirsaugiensis Cœnobij chyrographum vnum ab eo receptum in scrinio S. Petri recondidit.

VVilhelmus honorificè à Papa suscipitur.

Papa concedit priuilegium.

15. *Rescriptum priuilegij Romæ seruatur.*

VII. *VVilhelmus Romæ grauiter ægrotat.*

Aliquandiu ergò ibi demoratus, grauissimam infirmitatem incidit, horribili enim ventris inflatione tenebatur oppressus, adeò vt nusquam posset gressum mouere, cumq; diu hac infirmitate laboraret, & eius recuperatio desperaretur etiam à peritissimis medicis, quadam die se duci præcepit ad altare S. MARIÆ semper Virginis, reclinatoque ventre sauciato ad altare, intimis precibus flagitabat remedium piissimæ Dei genitricis. Tantam spem atq; fidem gratia Dei amore dulcissimæ genitricis suæ consequuta est. Subitò namque contra spem omnium cæpit conualescere, ac se cibo reficere, & non

Conualescit miraculosè B. Virginis ope.

post

post longum tempus in suum locum (cunctis gratulantibus) reuersus est.

Eo tempore Ecclesia Catholica miserabili ac detestabili VIII.
schismate [16] ab inimicis Christianæ vnitatis scindebatur. Sed quia hic verè Deo dignus igne diuini amoris totus incanduerat, ac zelo animarum æstuabat, salubri consilio quosque ad vnitatem ecclesiæ tenendam seruandamq; animabat. Et quia simplici ac puro oculo tali insistebat negotio, quidquid agebat, cunctorum religiosorum animis complacebat: quidquid dicebat omnium bonorum corda intimo amoris affectu delectabat. Cum columbinâ simplicitate tantum viguit in eo serpentina astutia, vt ab huius sæculi prudentibus videretur omnes præcedere in prudentiâ: & à diuina sapientibus mirè coleretur pro puræ mentis innocentiâ.

16. Abbatiæ & episcopatus hoc tempore simoniacè dabantur. Cum ecclesia sensit Pom. Bonorum semper amorem obtinuit in populo.

Tantâ charitatis affluebat benignitate, vt neminem perfectè diuino seruitio cupientem se mancipare, pro paupertate suâ despiceret, neminem ob imperitiam refutaret. Nobiles ac ignobiles, diuites & pauperes, viros ac mulieres, ad contemptum mundi incitabat, ac singulos ad amorem cœlestis vitæ verbo & exemplo accendebat. Multa hospitibus, multa pauperibus distribuebat, nec tamen commissorum sibi curâ postponebat, sed cum paternâ sollicitudine, & cum magna charitatis affectione omnibus necessaria administrabat. Si qua verò rei familiaris penuria ingruebat, hanc non solum tolerabilem, sed gratam sibi suisq; blandè & virili commonitione faciebat, asserens hanc esse dilectorum Christi probationem, & si patientia cum gratiarum actione ac precum frequentatione adesset, procul dubio mox manifestam à Deo venturam consolationem. Quod vtique est euidentibus sæpe declaratum indicijs, dum ei in omni angustiâ Dominus ostium misericordiæ suæ fide & precibus pulsanti aperire dignatus est. Famâ igitur vulgante eius laudabiles actus, vndique ad eum quasi

IX.
Neminem à conuersione monasticare pulsit.

Misericors in pauperes semper fuit. Confidentiæ in Deũ magnæ semper fuit.

Vndiq; ad eum concurritur variis de causis.

quasi ad bonum odorem Christi fideles confluebant, quidam vtiq; cupientes vti eius saluberrimis consilijs, alij verò eius orationibus se commendantes, plurimi etiam abiectâ sæculari

17. *Humilitas eius in omnibus.*

17 sarcinâ magisterium eius deligebant. Ad ministerium diuini officij pro humilitate nolebat paraturâ indui, quæ auri frigio vel alicuius pretiosi metalli intexturâ esset ornata. Detestabatur etiam osculationem manus, & genuum Abbatis, & omninò talem consuetudinem abscidisset, nisi eum seniores hanc reuerentiam ab eis suscipere vix compulissent. Quolibet loco præeuntem conuentum fratrum subsequens, & diligenter inspiciens, gemendo & plorando, oculosq; cum corde ad cœlum leuando, pro eis attentius orabat. Ad mensam si quid accuratius apparatum illi offerebatur, innuit offerenti, si omnibus communiter apponeretur. Si annuit, aliquantulum inde gustauit, sin autē, statim infirmioribus distribuebat. Delitiarum & epularum diuersitatem, quæ sunt fomenta luxuriæ contemnebat, paruis ac mediocribus cōtentus erat. Siquidem quocunq; sibi eundum necessitas exigebat, non superbo equo delectabatur, sed equâ, aut vilis asselli dorso vehebatur. Vestes nitidas, pretiosiq; velleris horrebat, maximè manicas vel cucullas, quas etiam sub interminatione excōmunicationis abscidebat, variarumq; rerum vtensilia superfluo & pompatico ornatu decorari, acerrimâ execratione prohibebat.

Compunctio cordis eius quāta fuerit.

Singularitatem in cibo & potu non amauit.

X. *Cōsolatur afflictos.*

Quisquis obedientiarius, vel alius quis tentatus vel mœstitiâ grauatus ad eū accessit, non spernēdo vel detestādo, illū contristatum, sed mulcendo & blandiēdo verbis cōsolatorijs dolorem ipsius deliniuit, lætumq; ac gaudentē à se dimisit. Lucerna enim ardens & lucens nō sub modio latebat, sed super candelabrum prominebat. Ideòq; omnibus exemplum benè viuēdi fieri studebat. Inter has ergò aliasq; virtutes, quam sincerâ & perfectâ fide polleret, nullus sermo ad integrum explicare valet. Hac enim virtute veluti loricâ indutus, virili animo quæq;

Luc. 11.

aduersa

aduersa deuicit, ac sępius nõnulla difficilia, ac multis penè impossibilia aggressꝰ, domino adiuuãte felici effectu terminauit.

Vt enim de pluribus pauca commemorem: Dum die quodam sanctus Pater de re familiari tractaret cum fratribus exteriora prouidentibus, inter cetera quæ conferebantur, denunciauerunt pro quadam ineuitabili necessitate, necessárias esse quinque libras argenti. Cum verò nec in promptu eas haberet, nec vsque scita saltem mutuatione acquirere valerent, & imminens necessitas vrgeret, sine vllâ dilatione persoluere ipsam pecuniam, tali perturbatione coangustati ignorabant quomodo possent expedire. Pius autem Pater in Domino cõfidens, verbis consolatorijs pusillanimitatẽ illorũ studuit animare dicens, nullo modo de Dei misericordiâ diffidendũ esse. Illis verò præ anxietate tepidius excipientibus eius cõsolationem, & affirmantibus, nõ pro se, sed pro cõmuni detrimento angustatos fuisse, è consessu surrexit, & illis eius reditũ præstolãtibus exijt forás, implorãs auxilium Domini. Nec mora, benignꝰ Dominus affuit fideli famulo suo. Ex improuisò namq; quidã ignotus superueniẽs, contulit ei omnem quantitatem pecuniæ. Mox ergò rediẽs, protulit de manu suâ quinq; libras argenti, & fratres charitatiuè corripiens ait: En adest pecunia, pro quâ pusillanimes facti estis. Discite nil ergò iam vlterius, de multiplici bonitate DEI omnipotentis desperare.

XI. *Miracula quædam.*

Prouisio diuinitus & miraculosa.

Item Deo amabilis Pater quadam die diluculo profectus de monasterio, non longè obuiam habuit quendam pauperculum cum vxore & vndecim filijs paruulis, obnixè eius eleemosynam postulantem. Fratres autem qui comitabantur eum, de cellario panes paucos, qui vix ad vnũ prandium paucis sufficere possent, secũ tulerãt, nam in quodam prato pransuri erant. Ergò vir Domini inuitauit pauperculũ cum vxore & filijs ad prandium. Residentibus verò omnib. ex improuisò aderat non modica multitudo equitum popularium, nec non

XII. *Item alia.*

& pau-

& pauperum. Itaq; pro paruitate alimoniæ ſocijs beati vir turbatis, ſimulque rubore ſuffuſis, vir Deo plenus hilari vultu ait ad eos: Quinque panes, quibus Dominus quinque millia hominum pauit, quamdiu integri remanſerunt, nec multiplicati ſunt, nec vllus ex illis paſtus eſt; quando verò à Domino fracti ſunt, vtique tunc ſunt multiplicati, & plures ex illis paſti. Hæc dicens prompto animo & largâ manu diſtribuebat multitudini, quæ aderat, parua alimenta, quæ fide eius & meritis mirabiliter à Deo ad ſufficiẽtiam omnium ſunt multiplicata. Sanè multis admirantibus eius fidem atq; liberalitatem de paucis cibarijs ſunt omnes abundè refecti. Singulis ergò in ſua cum gaudio redeuntibus, vir Deo charus ſupradictum pauperculum cum vxore & filijs retinuit, ac longo tempore victui neceſſaria impendendo, vſque ad meſſem nouarum frugum perduxit.

Matt. 14. Luc. 9. Ioan. 6.

Panes multiplicantur, & plures paſcit.

XIII. *Claudum curat obuium in ponte.*

Quodam etiam tempore, dum tranſiret ſuper pontem fluuij Nagalta vocati, obuiauit ei pauper, qui per multos annos in eleemoſynariâ domo decumbens, non aliter quoque greſſum mouebat, niſi duobus baculis ſub axellis ſuſtentaretur. Cum ergò occurreret eidem pauperi in medio pontis venerabilis Pater, vi abſtulit ei vnum baculum, & vltra paululum progreſſus cum eodem baculo, fixo gradu ſubſiſtens, egeno, vt ad ſe veniret, præcepit.

At ille negauit ſe poſſe incedere ſine ſuſtentaculo alterius baculi. Et contra ſenior: certè, inquit, hinc non recedam, donec venias ad me. Pauper obtemperans iuſſioni eius, pedetentim ſe trahendo, quo valuit anniſu, venit ad eum. Deinde reiecto omni ſuſtentaculo, ſoſpes & incolumis, toto corpore, firmis pedibus incedebat.

XIV. Sed neque hoc ſilentio contegi dignum ducimus, quod propriis oculis vidimus & perſpeximus. Quidam Argentinenſis eccleſiæ [18] Canonicus, nobiliſſimis ortus natalibus, ad

[18] Monaſte-

Monasterium viri DEI venit, & deuotè susceptus, deuotius vixit. Qui mox in initio conuersionis suæ, paralysi dissoluitur toto corpore, itavt exceptâ linguâ, nullum membrum permaneret in cõiunctione suâ. Erat enim ille idem vir præpollens quadam acri ingenij constantiâ, scientiæ & eloquentiæ prærogatiuâ, & necesse erat, vt pio Domini flagello refrænaretur, ne fortè (vt mens est hominis prona semper ad malum) aliquo vẽto elationis eleuaretur, & mox in immane præcipitium laberetur. Quâ infirmitate ita plus anno ægrotauit, vt manum ad os non porrigeret, latus nisi aliorum adminiculo non mutaret, sed (vt prędictum est) omni membrorum officio careret. Iam tempus miserendi eius aduenerat, iam Dominus ex alto prospiciebat, & ecce cœpit virium valetudo redire, manducandi & legendi gratia sedere, gressum reptando frequentare, sed manuum officio omninò negabatur, quoniam hoc ad maiorem Domini gloriam seruabatur. Quadam die vir Domini VVilhelmus cellam eius visitandi gratiâ ingreditur, & vt à Domino vsum dexteræ precibus obtineret adhortabatur. Abnuit ille cum summâ detestatione, confirmans omninò salutem corporis se paruipendere. Sed pius Pater totus compassionis & misericordiæ visceribus plenus, apprehendens illam benedicit, deosculatur, & capellam S. DEI genitricis semperq; Virginis MARIÆ ingreditur; vbi paululum in oratione prostratus, infirmum iterum visitauit, & dextera eius recuperata inuenitur. Post paucos dies vxor fratris sui Monasterium, & ipsum visendi gratiâ aduenit, & ipse sellâ gestatoriâ ad eam deportatur, vbi inter ædificationis & familiaritatis colloquia, sanatæ dextræ suæ manus incidit memoria. Quam illa muliebri affectu deosculatur, sed mox in pristinam rigiditatem reuertitur. Quod mox vt sensit, salutatâ illâ, & dissimulato infortunio suo, in cellam suam se recepit, mœrens aliquantulum de hoc quod accidit. Quem vir

Gebhardus paralyticus sanatur.

Contractũ sanat brachiũ VVilhelmus.

Brachiũ ad tactum fœminæ ri- escit iterum.

Dei mox ê vestigio subsecutus, & spiritu Domini edoctus, quod euenerat, caussam quærit tristitiæ. Quam ille satis simplici & humili prodidit confessione. Cui vir Deo plenus consolationis reddidit verba, & apprehensam dexteram benedixit, & saluti 19 pristinæ restituit.

Restituitur per VVilhelmum. 19.

XV. Alio inde tempore fratrum quorundam in inferiori eremo, illius permissu quasi eremitarum more victitantium, cellam visitauit, quibus tamen aduentum suum pridie nunciauit. Vnde vltrà quam credi potest lætificati, vtpotè patris amantissimi, & quasi angeli Dei visitatione digni, præparant omnia, quæ tanto patri erant necessaria, & cum comitantibus congrua. Erat idem locus piscibus capiendis aptus, & adolescentior quidam in eorum commanentiâ, huiusmodi operâ exercitatus. Huic fratres summoperè supplicant, vt sibi & illis præstaret, & in capiendis piscibus omnem industriâ suam impenderet. Laudauit, fecit quod potuit, sed res processum non habuit. Nam cũ totâ nocte laboraret, & secundum votum suũ nihil omninò proficeret, promisso suo simul & verecundiâ victus, furtum in sociorum suorũ præsumpsit piscibus, & insolitæ magnitudinis truttam manè fratribus retulit, & eos in non paruâ admiratione discedens reliquit. Erat inter fratres vnus altioris & perspicatioris ingenij, qui insuetam piscis magnitudinem admirans, cœpit diligentius de eo perscrutari. Primum (vt huiusmodi hominũ genus solet) furtum cum summâ detestatione negat, & abominatur, sed cum dulcibus verbis, & veri ratione & re ipsâ cõuincitur, culpam suam simpliciter fatetur. Tunc videres fratres illos non modicê contristatos, & in ambiguo positos, quia furtum piscem abominabilem fecerat, & quod iam aduentanti patri apponeretur in promptu non erat. Tunc palliante charitate, piscem Patri apponere communi consilio decreuerunt, & excessum illum ieiunijs & orationibus apud se in occulto abolendum esse

Fraus piscatoris.

Iustitiã non est deserẽda propter charitatẽ proximi.

esse statuerunt, limitem iustitiæ excesserunt, quando modum in dilectione non seruauerunt. Iam adueſperascente die Pater desiderabilis aduenit, occurritur, susciputur, ad orationem ducitur. Tunc dilectissimus Pater charissimis filijs plenâ iocunditate, quia insolitâ esurie laboraret, aperuit, & si quid pulmentarij haberent, citius apponere præmonuit.

Tunc recumbitur, & piscis ille apponitur, & cum summâ diligentiâ, quid facturus sit vir Deo plenus obseruatur. Ille homo Deo hospite edocetur interiori, & quamuis (vt prædictum est) non paruam famem pateretur, tamen mirâ abominatione appositas sibi execratur, & nihil omninò gustando quasi in excessu mentis rapitur. Nemo discipulorum, vel aduenientium, vel ibi manentium audet subitam viri mutationem interrogare, sed aduenientes in summâ erant admiratione, habitantes in maximo timore. Posterâ die maximâ cõtriti cordis deuotione, culpam suam fatentur, & à piissimo Patre clementer susceptí, ne deinceps aliquid huiusmodi præsumerent, sub districtâ interminatione admonentur.

Furtum reuelat VVilhelmus.

VVilhelmus fratres increpat.

XVI. Per idem tempus misit vir DEI de Monasterio vnum fratrem nomine Bennonem cum quibusdam rusticis mercede conductis, vt vndecim carradas vini adueherent cum plaustris, quod vinum quidam ciuis Moguntinus nomine VVignandus officio charitatis transmisit Hirsaugiensibus. In viâ autem quâ cum eodem vino veniebant, latrones noctu irruentes pro spolijs vim eis intulerunt, sed illi Deo protegente illæsi cum rebus suis euaserunt, excepto quod fratris prænominati dextrum brachium percutientibus aduersarijs, adeò est debilitatum, vt fasciolis illud ad collum ligaret, & vlterius vsum eius recipere desperaret. Post hoc & aliud infortunium inciderunt. Nam vnum de dolijs plenum vino, quod specialiter ad eleemosynam fuit deputatum,

F. Bennonis brachium laditur.

vergente plaustro in foueam cecidit, & vinum effusum in foueam ferè defluxit. Quo à rusticanis exhausto, dolioque vacuo super plaustrum leuato, qui damnum sustinuerunt, cum tristitiâ magnâ iter cæptum tenuerunt. At frater prædictus relictis socijs ad Monasterium præcucurrit, & viro Dei brachij sui læsionem, cum damno vini quod acciderat, lamentando exposuit. Cui ille verbis B. Iob hilariter & constanter respon-

Iob. 1. dit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Consequenter bra-

Brachium læsum sanat. chium eius benedicendo cõsignans, pristinæ sanitati restituit. Deinde præcepit eidem vt omnia dolia vini aduectitij leuatis operculis diligenter inspiceret, & quod ceteris plenius inueniret, hoc totum pauperibus impartiret. Quo citius iussa complente, cunctis qui aderant videntibus, obstupescentibus simul & gaudentibus, dolium antea vacuum (vt credimus) per

Vinum augetur. merita viri Dei ita vino redundabat, vt nullum de ceteris tam plenum inueniri posset. Cumq; & hoc prædictus frater viro Dei gaudens & exultans referret, protinus mandatum ab eo accepit, vt nulli hoc reuelaret. Quod ab alijs qui intererant vsque quaq; diuulgatum est. Rusticis verò qui prius pro perdito ex sua negligentia vino, libram vnam argenti spontè persoluere volebant, iussit solidum vnum super conductam laboris sui mercedem addi, ciboq; ac potu lautè curatos cum gaudio ad sua remitti.

XVII. Sancto viro aliquando apud villam quæ dicitur VVile constituto, sępedictus frater Benno, qui ibidem procurator rerum monasterij fuit, in horâ refectionis paucos piscículos ei obtulit dicens: pro aduento eius se diu multumque in piscando laborâsse, & nil amplius præter illos se capere potuisse. Qui sta-

Capturã fratri piscium dat. tim prȩcepit ei piscandi gratiâ ad gurgitem redire, & nil de misericordiâ DEI diffidere. Quod cum ille maturè implere properaret, laxato reti in aquã in verbo viri Dei statim octo lucios admo-

admodum grandes cæpit, & cum eisdem adhuc retis lino inuolutis ad virum Dei repedauit. Tunc benignissimus Pater iussit omnes pauperes qui in eâdem villâ possent inueniri ad prandium inuitari, & eosdem pisces eis ad refectionem paratos apponi.

Item dum quadam die vir Dei eleemosynario præciperet, XVIII.
vt stipendia pauperibus solito largius præpararet, audiuit ab eo ad conficiendos panes valde parum superesse de frumento. Qui iussus ab eo diligentius intueri, quantum remansisset frumenti, apertâ arcâ, curiosè cum alio fratre inspexit, mensurauit, vix vnum modium inuenit, & viro Dei veritatem rei indicauit. Manè autem facto, cum eleemosynarius iussa patris impleturus eandem arcam aperiret, manifestâ Dei virtute, fidem & merita fidelis famuli sui declarante, summotenus frumento plenam inuenit, quæ tam grandis erat, quod viginti modios capere solebat. Quia enim vir sanctus semper ad hoc studiosus & intentus erat, vt in omnibus voluntatem Dei perficeret, & vt magis proximis quam sibimet vtilia prouideret, ideò misericors & iustus Dominus piæ eius petitioni in omni necessitate & angustiâ clementer & efficaciter affuit.

Annonâ quoque multiplicat.

His quæ ad miraculum pertinent de S. viro partim commemoratis, ob testimonium tantæ eius fidei & sanctitatis. Nunc de eo alia quædam sunt narranda, non tam mira, quam ad audiendum iucunda & vtilia, & humanæ fragilitati ad imitandum possibilia: Non enim in sanctis Dei signa & mirabilia iubemur imitari, sed bonorum operum exercitia, & testante sacræ auctoritatis Scripturâ, misericordia, compassio miserorum, & zelus animarum plus placent Deo, quam sacrificia, & scientia Dei plus quam holocausta. XIX. *Oseæ 6.*

Itaque hic Dei amicus iugiter (vt sæpe dictum est) misericordiæ operibus insistens, quadam die de monasterio 20 Hasunga nuncupato, fratres plus quam septuaginta suscepit ad XX.

20. Septuaginta fratres.

propterius-titiam exules benignè susc̃pit.

se confugientes, & eius salubre consilium atque fidum solatium implorantes. Deniq; Episcopus [21] Moguntinus à schismaticis electus atque ordinatus, quia idem cœnobium ecclesiæ Moguntinæ iure proprietatis subiectum erat, eosdem fratres minis, suasionibus atq; blanditijs conabatur suæ ditioni subdere, ac participatione illicitæ communionis cõtaminare. Illi verò ècontra fixâ sententiâ vnitati ecclesiæ fidem seruãtes velut surdis auribus blandientem spreuerunt, ac iuxta consilium & mandatum pij Patris VVilhelmi relictis omnibus ad ipsum [22] se contulerunt. Hoc autem euenit circa mensem Augustum ante messem nouarũ frugum. Et quamuis eodem anno, & in sequenti maximâ ex parte frumentum pecuniâ coëmptum quotidiano fratrũ victui administraretur, tamẽ in Deo fiduciâ magnâ præsumens, & pro aduentu illorum Dominũ glorificans, veluti cuncta horrea frumento plena essent, præcepit solitam quantitatẽ panis augeri, dicens: Quia Dominus auxit numerum seruorum suorum, debemus etiam & nos augere annonam illorum. Aliquandiu retentis secum eisdem fratribus, atq; omni humanitate eis exhibitâ, postea dimisit eis cellam S. Gregorij cum omnibus quæ ad eam pertinebant, quanto tempore voluerunt.

21

22

Vide benignitatẽ viri Dei.

XXI. Alio quoq; tempore ad quandam cellam iter tunc agebat, quam rogatu cuiusdam comitis iuxtà Danubium construxerat. Iamq; illuc appropinquare cœperat, & ecce in confinio siluarum quoddam tugurium conspicatur, assumptoq; secum vno ex cõmeantibus, ceteris cœptum iter exequentibus, illuc tendere non moratur. Veniens itaq; ad ipsam domunculam, repperit mulierem valdè pauperculam, ingressusq;, & oblitus suę dignitatis, oblitus asueti rigoris iuxta ignem sedit, ipsamq; sedere præcepit. Tunc inter sacræ ædificationis eloquia, oculos huc illucq; circumferens, scisscitatur ab eâ, quonam modo ipsa cum viro suo viueret, quia nil in domo, vnde temporalis vitæ

Rudes in fide eruditi.

vitæ stipendia consequerentur, haberet. Illa nil præter miseram vitam reliquum sibi esse fatetur, pane & aquâ se victitare, & hæc vix quotidiano labore manuum suarum parare. Marito interim de agro regresso, quærit ab eis fidemne sciãt Catholicam, sine quâ nemo potest consequi vitã æternam? Qui simpliciter quidnam sit fides, penitus se ignorare fatentur. At ille altius ingemiscens, & geminæ eorum inopiæ ex intimis visceribus condolens: Quid mirum, ait, si ab exterioribus rebus videmini inopes, qui intus (miserabile dictu) à Deo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) estis inanes? Post hæc fidem (prout capere poterant) breuiter eis exponit, & pro *tempore instructi, quatenus ad eandem cellam se sequerentur iniunxit. Posterâ die illô venientes, benignè suscepit, aliquandiu benignè retinuit, necessitates eorum non modicè subleuauit. Sicque factum est, vt & mentis illorum inopiam verbo sacræ eruditionis inescaret, & corporalem penuriam munificè alleuiaret. * al parte.

XXII. *Ad exemplum B. Martini pauperem vestit.*

Cum quodam hyemali tempore iter ageret per fines Bauariæ, obuiam habuit duos pauperes contra frigoris asperitatem vestitus ab eo subsidium postulantes. Qui mox recordatus S. Martini, qui dimidiũ clamydis suæ largitus est algẽti pauperi, cũ vno famulo digressus est seorsum à cõmeantibus, & sagum quod ei tam equitanti quam dormienti solebat substerni, in duas partes diuisit, ac singulis pauperibus singulas partes quibus se à frigore protegerent, impendit.

XXIII. *Simplicitatis & puritatis animi eius exemplum.*

Quiddam de B. Viro referã quod respicit ad animi sui puritatem & simplicitatẽ comprobandam, & amandam, & multorũ sui nominis vanitatẽ detestandam & damnandam. Quidam Abbas pretiosi vestitus plus quam talem personam, & tam arduum propositum deceret, deditus erat; quem vir Domini pro multis alijs bonis à Deo sibi concessis diligebat, sed in hoc secundum zelum Domini acriter eum sæpius corripuit, quamuis

quamuis parum profuerit. Quodam tempore quasi pro benedictione idem Abbas valdè pretiosum lectisternium ei obtulit, & vt ob memoriam mutuæ dilectionis susciperet, rogauit. Quod vir Deo plenus multâ simplicitate suscepit, & ad offerentis duplicitatem non attendit. Offerens quidem id intendebat, vt in hoc vanitatem suam in studio pretiosarum vestium aliquantulum tegeret, scilicet, si tam laudabilis & in omni monachicâ professione perfectus, huiusmodi vteretur, ille in alio simili non admodum notaretur. Ille namq; Abbas olim viri Dei erat professus, & ab eodem ad talem honorem prouectus. Vnâ autem tantum nocte vir Dei illo lectisternio vtitur. Posterâ die quidam fratrum obsequio illius deuotior, secreto illum adijt, se esse circumuentum admonuit. Quo audito, incredibile dictu, factum suum expauit & exhorruit, & mox in decem pauperum subsidium malè susceptum diuisit lectisternium.

XXIV. *Ab omni homine se doceri sustinuit.*

Habuit & hoc omni laude dignum cum alijs bonis suis ille dilectus Domini: nam à quocunque hominum aliquid boni in admonendo audiuit, ac si de cœlo missum, omni deuotione suscepit. Cogor multorum sui nominis altum supercilium & singulare cornu deflere. Hic virtutum, hic totius honestatis speculum, ab omni homine elegit correptionis iudicium, & veritatem à quocunque homine honorauit.

XXV. *Commiserationis affectu nõ solum erga homines, sed etiam bruta animalia vsus est.*

Compassio verò tam naturalis & vehemens ei inerat, vt non solum erga homines, sed etiam ergà bruta animalia hanc ostenderet. Hinc est quod quadam hyeme, cum ex abundantiâ niuium vis algoris plus solito ingrueret, idem pater visceribus pietatis motus, accito Præposito, querulâ voce dixit ei: Volatilia frigore & fame pereunt, sume manipulos auenæ, & defige circa sepes, vt inueniant quo pascantur. At ille respondit: Domine defecerunt nobis manipuli auenarum. Cui ille: Habesne, inqt, siligineos manipulos aut triticeos? Habeo, inquit,

inquit. Tunc pius pater: Ergò, ait, illos vende, & eme auenarios. Ille iussioni obtemperans, adiutori suo iniunxit, vt manè ad curtem exiens, opera iussa impleret. Eâdem nocte, quâdo subsequente mane iturus erat, gratia Domini benignitatem sui serui remunerante, asperitas glaciei emollita est, leni aëris temperie.

XXVI. *Pietas eius erga infirmos, & vitâ functos.*

Sanè pauperes in eleemosynariâ, siue rusticos in villulis infirmos iacentes humiliter visitauit, ac pijs consolationibus fouit, postremò obeuntes diligenti curâ sepulturæ tradidit. Eorum verò qui insaniam mentis patiebantur, nullum suscipere dedignatus est. Aut enim cum toto fratrum conuentu psalmos & benedictiones recitauit super illos, aut cum quibusdam fratribus, quæ tali negotio congruebant expleuit, & misericordiâ Domini subsequente, cùm sanitate mentis & corporis læti ad propria redierunt.

XXVII. *23. VVilhelmus ordinem monasticum reformauit. Etiã alijs quibuscunq; statibus profuit.*

Religio [23] quoque monastica quæ penè in prouincijs Teutonicis refrixerat in eis qui habitum religionis prætendebant, huius B. Patris studio cæpit recalescere & recuperari. Non solùm autem monastica institutio eius æmulatione profecit, sed & singuli gradus ecclesiastici ordinis illius exemplis erudiebantur. Monachos namque humilitate, charitate, feruore & religione instruebat. Episcopos, Presbyteros, seu quoslibet clericos doctrinâ & auctoritate promouebat. Laicos conuersione & subiectione docebat, virgines, viduas ac mulieres mũditiâ & castitate informabat; pauperes Christi & peregrinos paruo contentos esse, ac mundum sub pedibus habere, & omnem eius gloriam verbis & operibus dissuadebat. Singuli fideles Christi ad illum quasi ad sinum matris confugiebant, multumque per eum in Deo proficiebant.

XXVIII.

Nunc tandem veniam ad enarrandum id, quod erat inter omnia opera sua præcipuum, & vsque ad finem seculi multorum animabus per cœnobialem vitam saluãdis profuturum.

Erat enim studiosissimus Cœnobiorum nouorum fundator, ac veterum instaurator. Denique septem cœnobia tam per se, quam per suos discipulos varijs in locis à fundamentis cõstruxit. Quorum primum fuit cella [24] S. Gregorij, quæ propriè ad Hirsaugiam pertinet. Secundum S. Georgij [25] Martyris, vtrumq; in nigrâ syluâ. Tertium in Bauariâ in honore [26] S. Martini. Quartum in [27] Thuringiâ quod dicitur * Erphefurch. Quintum ad duplicem aquam in honore S. Mariæ. Sextum in villâ VVilheim, quod postea mutatum est in montem S. Petri. Septimum in prouinciâ [28] Charētinorum. Alia verò tria, id est, [29] Schaffhusen, [30] Petrishusen, [31] Campergense, penè iam destructa restaurauit.

Septem cœnobia fundauit.

24.
25.
26.
27.
* al. Erford.
28.
29.
30.
31.

Cœnobia restaurauit antiqua.

XXIX. In quorum gubernatione hæc erat ei cum solicitudine quotidiana non parua difficultas, tales videlicet in congregatione fratrum inuenire personas, quæ essent vtiles & idoneæ ad lucrandas animas. Nam secundum Dominicum sermonem, *messis quidem multa, operarij autem pauci*, dum eos qui alijs debent præesse, & opere & sermone oportet esse probatos, ac non minus sæculari scientiâ quam spirituali eruditos. Sed quia pauciſſimi inueniuntur, qui vtroque polleant, plures tamen sunt, qui vnum sine altero possideant, id est, aut vitam bonam sine scientiâ vel eloquentiâ doctrinæ: aut verbum doctrinæ sine religiosâ conuersatione: eos ille sapiens architectus studuit quasi quadratos lapides, vbi apparerent, in ædificio spirituali promouere, quos nouit expolitis moribus laudabiliter viuere, etiamsi cetera necessaria minus suppeterent.

Quales viros ad regimen animarũ assumpserit.

Luc. 10.

In hoc sequens memorabile factum [32] Gregorij Papæ septimi: Huic enim cuiusdam Ecclesiæ Clerus & populus duos electos ad Episcopatum præsentauit, & vnum quemlibet ex duobus Episcopum sibi ordinari petijt. Sed Papa vnum ex his sciens esse bonum doctorem, nec tamen religiosum, alterum

Exemplũ memorabile de Gregorio VII.

32.

tum è contrario religiosum, nec tamen necessariæ eruditionis peritum; quem ex duobus præeligeret, dubitauit, atque id diuinitus sibi manifestari orationibus cuiusdam serui Dei hoc modo impetrauit. Nam idem vir spiritualis cum hoc sibi à Papâ iniunctum vigilanter Deo commendaret, & per interuentum S. Dei genitricis Mariæ, sibi voluntatem Dei reuelari intentè supplicaret, per visum ei B. Maria Virgo apparuit, duosque annulos, quorum vnus purum aurum, alter perlucida gemma esse videbatur, ostendit; eique interroganti, quem ex duobus eligeret? gemmam inquit. Qui euigilans, Papæ visum suum narrauit, incertus tamen quid ad caussam prætaxatam vel aurum vel gemma innueret. Confestim Papa, quia erat perspicacis ingenij: Non dubium est, inquit, quod (testante sacro eloquio) per aurum sapientia, per gemmam verò simplex & pura vita hominis signatur. Ideoque ex ipso iudicio castissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, ille qui castè, iustè, piè viuit, etiamsi ei aurum sapientiæ vel eloquentiæ desit, ad exemplum benè viuendi populis præesse meretur, huius enim & si lingua tacet, vita docet. Oportet in huiusmodi electione summoperè canonum sanctiones obseruari, semperq; ad regimen animarum, non quoslibet populares, sed regulares duntaxat personas promoueri.

B. Virgo apparet cuidam seruo Dei.

Iudicium S. Pontificis ex statione eadem.

Hoc ergò informatus exemplo fidelis seruus Domini & prudens, in quibusdam ex prædictis Cœnobijs statutis Abbatibus, in quibusdam Prioribus, religiosos Monachos simul cũ conuersis laicis deputauit. Enimuerò amabilis Pater zelo animarũ feruẽs primus 33 instituit, vt monachi ministerio fideli laicorũ conuersorum in exterioribus administrãdis vterẽtur, & versâ vice ijdẽ laici à monachis quod ad curã animarũ pertinet consequerentur, eorumq; clausstralem disciplinã pro posse suo extra clausstrũ in corrigendis moribus imitarentur. De quorum 34 conuersatione, secundũ quod sæpe dictus Pater Deo inspi-

XXX. *Conuersorum consuetudinis primus inuenit.* 33.

34. *Quales fuerint conuersi*

uersorum vita eo tempore.

rante ordinauit, operæ pretium est aliqua commemorare. De quibus certi sumus sicut in præsenti tempore, ita & in futuro multos posse proficere.

Ad nocturnos omnes consurgũt.

Ad nocturnas vigilias omnes in Ecclesiam conueniunt, quibus tamen propter diurnum iniunctum operis laborem breuiter Matutini decantantur, posteà qui volunt ad lectos reuertuntur, alij in Ecclesiâ perseuerant, donec nocturni à Monachis finiantur. Summo manè Missam audiunt, deinde ad Capitulum conueniunt, ibi pro diuersis excessibus veniam petunt, & congruam à Magistro disciplinam accipiunt. Quo peracto, & subsequente quibus necesse est, peccatorum confessione, vnusquisq; ad opus sibi iniunctum diuertit. Nam illis iniuncta sunt singula quæque officia intra vel extra cellam gerenda, quæ tam fideliter, honestè ac diligenter tractant & administrant, ac si à Deo sibi commissa. Nil proprium possident, sed sicut in Actibus Apostolorum legitur, omnia in medium conferuntur, vnicuiq; prout opus habet, distribuitur.

Missam quotidie audiunt & capitulum.

Laboribus manum diligentissimè intendunt. Actor. 4.

In agendis negotijs non solum lites ac iurgia deuitant, sed etiam ab otioso sermone se continent. Prælatis suis obtemperant; sine quorum permissione, nec etiam extra cellam longiùs iter agunt, semper in Dominico die communicant, ita vt dimidia pars illorum in vnâ, altera pars in alterâ die Dominicâ corpus & sanguinem Domini reuerenter accipiant, sed in summis Festiuitatibus omnes simul. Qui iter facturus est, ipsâ die communicat, si tamẽ ante proximam diem Dominicam se rediturum non sperat. Reuertentes de viâ veniam petunt pro excessibus in viâ commissis. In coquinâ seruiendo, & tam sibi quam Monachis & hospitibus cibum parando septimanas suas vicissim peragunt, cibum vnà capiunt, quem sibi inuicem apponunt. Ad diurnas horas non veniunt ad Ecclesiam, nisi quibus ad hoc vacat. Ad Completoriũ sicut ad nocturnos omnes, siue penè omnes, adsunt: Postea cum silentio ad lectos suos diuertunt.

Verba nulla inter eos otiosa, non contentio.

Ad omnẽ obedientiã erãt promptissimi.

Communicatio corporis Christi.

In omni conuersatione erãt sanctissimi.

Ad Cõpletorium accurrunt omnes.

Ad

Ad huius ſpiritualis vitæ obſeruantiam S. Pater VVilhelmus congruam in eodem loco Hirſaugiæ conſtruxit habitationem, videlicet nouum ſs Monaſterium in honore Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctiq́ue Aurelij Confeſſoris ad Auſtralem plagam per manus ſub obedientiâ ſuâ militantium. Quod infra annos nouem conſummatum, in decimo eſt dedicatum. Deniq; ipſum templum antequam dedicaretur, pauperibus per gyrum repleuit, à ſuperiori parte vſq; ad valuas, clauſisq́ue ianuis per ſe ipſum eis miniſtrauit. Ipſo tempore & deinceps vſque ad obitum ſuum plus ſolito egenis ſtipendia erogauit. XXXI. *Monaſteriũ maius fundatur in Hirſaugia per VVilhelmum.* 35. *Nota pĩ patriũ VVilhelmi factum.*

Poſt prædictam Dedicationem nouem hebdomadibus ſuperuixit, iamque inſtante natali Apoſtolorum Petri & Pauli languor eum inuaſit. Nocturnis vigilijs, & diurno miniſterio (licet debilis) interfuit, craſtino priuatam Miſſam ad principale altare celebrauit. In ſequenti nocte cum præmoleſtiâ corporis ſurgere non poſſet, per viſionem diuinitus conſolationem accepit, dictumq́; eſt ei quod SS. Petrus & Paulus in eius iuuamine prompti adeſſent. Diluculò cum greſſum vix mouere poſſet, deduci ſe iuſſit in oratorium, & parari ad celebrandam Miſſam. Et inter manus vtroque latere ſuſtentatus ſuper altare Apoſtolorum Petri & Pauli ſacrificium viuæ hoſtiæ immolauit, ac velut profecturus ad Dominum verba S. Pauli, quæ iam imminente eius reſolutione dicebat, quæque etiam ſuæ cauſſæ optimè congruebant, in eius feſtiuitate decantabat; quæ ita ſe habent: *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illam diem iuſtus iudex.* Ita fuit eius vltima celebratio Miſſæ. Quarto die ad viſendos & commonendos fratres in Capitulum venit. Quicquid autem hactenus eos inſtituebat, hoc cæpit ſingillatim replicare & exhortari, vt de die in diem in melius proficerent. In primis de continuo amore Dei, de feruore monaſticæ religionis, de obſeruantiâ XXXII. *VVilhelmus Abbas infirmatur.* *Miſſam celebrat vltimam.* 2. *Tim. 1.* *Exhortatio eius vltima ad fratres.*

uantiâ mutuæ dilectionis, de sectandâ hospitalitate, & cum omni solicitudine impendendâ, de diligendâ eleemosyna & voluntariè erogãdâ, multaq; his similia suadebat; posteà querulosâ voce intulit: Vnum fuit quod valdè me exacerbauit & grauauit, quod lamentando Deo & vobis promam. Cumque omnes essemus attoniti, dixit: Quidam fratres vobiscum conuersati sunt, secundum prudentiam carnis magis, quam iuxtà simplicitatem spiritualem, suisque sermonibus seu consilijs sæpius me perturbabant, ac simplicitati propositę obsistebant. Sed Deus omnipotens viritim eos à nobis separauit, & de claustro elongauit. His dictis statim subiunxit: A modò charissimi nullum Capitulum vobiscum habiturus sum. Idcircò filioli, vltimam patris sententiam audite, & memoriter retinete, quæ vidistis & audistis. Finito Capitulo in suo humili habitaculo se recepit, & solito more omnibus eum adire volẽtibus concessit. De hinc tertio die iussit portari se in oratorium S. Mariæ, ibiq; cõuentu fratrũ pro eo Missam celebrante, vnctione olei infirmorũ, & perceptione corporis & sanguinis Domini exitum suũ muniuit, ab omnibus indulgentiã petẽs, & ipse omnibus indulgentiã faciens, ac singulos deosculãs, & amplexans paterno affectu præsentibus vltimũ valefecit, absentibus demandans suã intimam charitatẽ, simul omnes obsecrans & cõtestans, vt in vnitate Ecclesiæ, & subiectione sedis Apostolicæ quomodo sibi ab eo traditũ fuerat vsq; ad mortem inuiolabiliter permanerẽt. Ad extremũ eleuatis manibus corã omnibus breui sermone sic concluſit: Testem inuoco Deum, quod semper vsq; ad nunc fideliter ac benignè erga vos egi. Quo de oratorio reportato, singillatim quiq; cum gemitibus & suspirijs ad eũ confluebant. Ad quos dignum memoriâ verbũ dicebat: Iusti hominis obitus, non est mors dicẽda, sed potius mutatio, quia mutatur de mortalitate ad immortalitatem, de terrenis ad cœlestia. Posterâ die eo in domum infirmorum deportato,

Communicatus ab eo sancto perungitur.

VVilhelmus Abbas moritur.

portato, & conuentu fratrum illuc cõgregato infra meridiem, cunctis miserabiliter flentibus ac lugentibus I V. Non. Iulij beato [36] fine perfunctus, animã fœlicibus meritis plenã Deo reddidit, atq; de Ægypto huius mundi ereptus terram viuentiũ perenniter habitaturus adijt. Conuenientibus ergò duobus Episcopis, & quinq; Abbatibus, clericis etiã non paucis cũ multitudine vtriusq; sexus, post exeqas per quinq; dies celebratas, in medio Ecclesię Apostolorũ debitâ veneratione sepultus est.

36. Episcopi duo, Abbates quinq; interfunt exequijs per dies quinq; celebratis.

Non longè autẽ post obitum quasi post noctem tristitiæ quę cunctos oppresserat, illuxit nobis dies cõsolationis, de aduẽtu D. Gebehardi tunc Prioris, sed postmodũ defuncti Patris in regendo Monasterio successoris, apportantis reliquias S. Petri Apostoli, scilicet de eius capillis à Reuerendissimo Hugone Abbate Cluniacensi transmissos, pro quibus eũ P. V Vilhelmus ante [37] obitum suũ direxerat, hos super omne aurũ & lapidem pretiosum multũ Hirsaugiẽses intimo affectu amplecti debẽt & venerari, pro eo quod verè de capillis principis Apostolorũ Petri esse didicimus. Nam antiquo tempore antequã corpora Apostolorũ Petri & Pauli ab inuicem sunt separata, in locis tutissimis vbi nũc simul sunt condita ponerentur, erat custos ratione Ecclesiæ vir religiosus nomine [38] Oddo, qui renuncians sæculo Cluniacẽse Cœnobiũ in quo postea fact9 est Abbas petijt, & inter alias reliqas SS. nõnullos S. Petri capillos secũ attulit. Ex quib. hos sumptos esse, quos nobis transmisit, certissimâ astipulatione testatus est cũ grandęuis senioribus prędict9 Abbas [39] Cluniacẽsis, ardẽtissimus amator nostrę Cõgregationis, pro eo quod ab eo Monasterij cõstruendi & regulariter viuẽdi ordinẽ suscepimus. Hoc ideò necessariũ duximus hîc añotare, ne quis super eisdẽ capillis possit aliquo dubitationis scrupulo permoueri, quin verum sit, quod à tantis & talibus cõstat testibus confirmari. Prædictas verò reliquias qui attulerunt, antequam Hirsaugiam peruenirent, cuidã religioso presbytero in

XXXIII. Prior Gebhardus Cluniaco reuertitur cum reliquijs de capillis S. Petri.

37.

38. Quis reliquias de capillis S. Petri Cluniacum deportauerit.

39. De veritate prædictarum reliquiarum.

vicinã

vicinâ villâ commoranti prouido vſi conſilio commendauerunt ſeruandas, vſque ad feſtum, quod dicitur S. Petri advincula. Ipsâ vtique die collectis Abbatibus & alijs religioſis viris memoratæ reliquiæ in Monaſterio Hirſaugienſi ſuſceptæ ſunt cum maximo Monachorum plebisq; tripudio, ac primo ſuper ſepulchrum B. patris VVilhelmi depoſitæ, ipſi, cui ſpecialiter transmiſſæ fuerant, hoc modo pio filiorum affectu quaſi præſentabantur. Denique inter iucunda diuinæ laudis præconia, ſupplici veneratione ab omnibus qui aderant, deoſculatæ, in ſcriniolo argenteo vbi nunc vſque reſeruantur, ſunt reconditæ.

Capilli S. Petri Hirſaugiam portãtur.

XXXIV. Legitur de S. 40 Gregorio ſanctoque 41 Gallo multis poſt tranſitum eorum de hac vitâ claruiſſe indicijs, quod Monaſteria quæ in honore DEI conſtruxerant, ſuis contra multas aduerſitates defenſarent patrocinijs. Nonnulla etiam huiuſmodi noſtris geſta temporibus de hoc ſancto Dei â notis & probatis perſonis comperimus, quæ ad commendationem ſanctitatis eius ſtyli officio annotare curauimus. Erat quædam Abbatiſſa in Noricâ prouinciâ pijs operibus dedita, cuius conſilio prædictus vir DEI olim Hirſaugiæ prælatus fuerat, quia eum pro vitæ meritis multum dilexerat. Huic poſt diſceſſum eius per famam innotuit, multos ſiniſtræ partis homines, in hoc facinus conſpirâſſe, vt funditus deſtruerẽt Cœnobium Hirſaugienſe. Vnde ipſa continuis affecta doloribus propitiam diuinitatem aſſiduis interpellabat precibus, vt ſuæ protectionis auxilio tantum nefas auerteret, ac ſui fidelis famuli nouellam plantationem ad incrementum perduceret. Cumq; tam pijs anguſtijs cor eius angeretur, & pro imminente periculo Dominum inſtanter deprecaretur, quadam nocte quieſcenti vir Domini in ſomnis apparuit, mœſtamque hilari vultu intuens, lætificauit dicens: Multos quidem fuiſſe qui tantum nefas geſtiebant perpetrare, ſed vt non fiat omninò prohibitum

Quomodo monaſterium ſuũ etiam poſt mortem tutum ſit.

S. VVilhelmus apparet cuidã Abbatiſſæ

hibitum esse. Tunc illâ solicitè *inquirente*, quis hoc fieri prohibuisset? respondit: Angelus Domini bonus. Et confestim visio colloquentis disparuit.

XXXV. Verè etenim (vt ait Psalmista) *immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripit eos.* Sed quamuis (eodē attestante) *iustus quisq; in protectione Domini commoretur*, euidentius tamen & seuerius vindictam Dei experti sunt, qui iussu regis Henrici eiusdem nominis Quarti Hirsaugienses exterminare moliti sunt, pro eo quod hæresi eius contrà Romanam Ecclesiam noluerunt consentire, nec aliquatenus eius communione se cōtaminare, quippe qui erat sceleratissimus, & omnium quos terra sustinuit, flagitiosissimus. Ipso itaque annitente quidam Episcopus 42 Argentinensis nomine VVernerus militari manu aggressus est deuastare Hirsaugiam, sed eâdem die quâ tantum facinus commissurus equum loricatus ascendit, subitaneâ morte antequam loricam exueret, præoccupatus expirauit, & viuens in infernum descendit. *Viuens*, inquam, (vt scriptum est) *in infernum descendit*, qui sciens & prudens vt iniquè ageret, laborauit; qui innocentes Dei famulos perdere affectauit, quod ipsis etiam militibus (qui inuiti ad auxilium eius cogebantur) adeò visum est abominabile, vt ei dissuaderent, & ad tale facinus auxiliari recusarent. Hoc autem longè ante obitum viri Dei contigit. Sed deinceps tale aliquid cōtra locum sanctum, & eius habitatores præsumendi omnibus vsquequaq; metum incussit.

Psal. 33. *Psal. 90.*

Imperator mandat Hirsaugiā destrui.

42. Episcopus Argentinensis in hoc opus accingitur.

Episcopus iniquus subitaneâ morte cecidit.

Psal. 54.

XXXVI. Operæ pretium est hîc subsequenter subiungere aliud quiddam huic non multum dissimile, quod etiam valet ad terrendos & reprimendos inuasores Hirsaugiensis substantiæ. Vir quidā nomine VVintheir * de villâ Allmendingen nuncupatâ, renuncians sæculo, sanctæ conuersationis habitum sumpsit sub Abbate VVilhelmo, ac de proprijs rebus quoddam prædium in prædictâ villâ situm ad vsum fratrum Hirsaugiensium

* *al.* VVintherus.

gienſium legitimâ donatione delegauit. Poſtquam autem vterque, ſcilicet Abbas VVilhelmus, & vir prædictus ex hac vitâ migrauit, iuuenis quidam prædictum prædium auſu temerario quaſi hæreditario iure ad ſe tranſmiſſum vſurpauit. Cumque vnâ die duas carradas vini & alia huiuſmodi violenter de eâdem poſſeſſione abduceret, in ipſo itinere pes vnus boum qui rapinam trahebant, confractus eſt. Ipſe etiam iuuenis de equo cui inſedit, quaſi læthargum patiens præceps corruit, atque amens factus, etiam vſum loquendi perdidit. In alienis manibus ſublatus, ſed proceſſu temporis paulatim recuperatis viribus mentis & corporis, ad ſe reuerſus cæpit ſecum conſiderare tale flagellum, quale nunquam anteà expertus eſt, ſe non ſine iuſto iudicio Dei toleraſſe, habitâq; ſecum deliberatione ad Monaſterium Hirſaugienſe ſe deferri fecit, ibiq; mutat ſimul cum mente ſeculari habitum, Deo ſe fideliter mancipauit, & poſt paucos annos in ſanctâ conuerſatione fæliciter vitam præſentem finiuit.

Inuaſor poſſeſſionum cœnobij amens efficitur.

XXXVII. Ecce nos hæc audientes, & tam terribile, tamque tremendum Dei iudicium ſuper his duobus conſiderantes, quorum alter repentè præcipitatus eſt in mortem, alter verò miſericorditer reſeruatus eſt ad vitam meliorem, competenter cum Pſalmographo poſſumus admirari & dicere: *Venite & videte opera Domini, quam terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.* Ex eâdem etiam conſideratione cogimur cum Apoſtolo proclamare: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ* DEI, *quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius. Quis enim cognouit ſenſum Domini?* aut quare cui vult miſeretur? & quare alium obdurat, vt non ſaluetur? Quocircâ quia ſecundum Salomonis eloquium nemo ſcit, *vtrum odio an amore ſit dignus*, ſed omnia in futurum reſeruantur, incerta timendo veneremur, & venerando timeamus occulta DEI iudicia, dumque ſumus in hoc corpore ſecundum Pſal-

Pſal. 45.

Rom. 11.

Eccleſ. 9.

miſtam

mistam, *Seruiamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore*. *Psal. 2.*

XXXVIII

Quantam (vt diximus) curam sui gerat Monasterij S. Pater VVilhelmus iam regnans cum Deo, per aliam etiam visionem satis manifestè ostensum est. Quam sicut referēte quodam seniore in nocēte & simplici viro, cui eadem cælitus facta est visio, didicimus; scribendo posteris transmittere necessariū duximus, quia per eam admonentur Hirsaugienses tam futuri quam præsentes, vt statuta sæpe dicti Patris diligenter obseruent, maximè in * dispensatione pauperum & hospitum, in obseruatione claustralis disciplinæ. Statutum erat ab ipso communi seniorum consilio, vt aliqui ex laicis fratribus qui ad conuersionem veniunt, in domo pauperum sub laicali habitu seruirent, & tamen non de eleemosynâ, sed de communi fratrum victu & vestitu sustentarentur. Hanc consuetudinem successor eius ita immutauit, vt prædicti fratres de eleemosynâ quam administrabant, corporis necessaria ex toto consequerentur. Ex quâ occasione contigit, res multum dolenda, vt peregrinis & alijs pauperibus solita misericordia subtraheretur, in tantum, vt egeni per gelidas noctes hyemis excluſi præ fame & frigore miserabili clamore in plateâ perstreperent, ita vt sæpius quiescentes noctu fratres inquietarent. Super quâ molestiâ Abbas frequenter à fratribus commonitus, cum emendare negligeret, hæc & alia multa huiusmodi: Nocte quadam in quâ Dominica Ascensio celebratur, vnus senior de eodem Monasterio vitâ & moribus probatus per nocturnam visionem vidit se subleuari, & quasi supra montem incomparabiliter sublimem constitui, vbi omnia plena erant immensæ lucis splendore, mirâ insoliti odoris fragrantiâ, & beatorum ibi manentium concentu dulcissimo. Quibus ipse nimiū delectatus, ac iugiter interesse desiderās, inter cętera quæ ibi vidit, etiā Abbatem VVilhelmū sibi

* *al. dispositione.*

Constitutio S. VVilhelmi, de seruitoribus domus pauperū.

Negligentia Gebhardi Abbatis.

Visio apparet cuidam seniori.

olim familiarissimũ recognouit niueo aspectu & habitu fulgentem. Cum quo etiam duos viros pontificali habitu decoratos, sed sibi incognitos, quæsiuit ab eo qui essent. Et audiuit
43. vnum esse [43] S. Vdalricum Augustensem Pontificem. Alte-
44. rum verò [44] Conradum Constantiensem æquè virũ Sanctum & olim Episcopum. Cumq; & de alijs ibi vilis inquirenti Ab-
S. VVilhelmus mandat Gebhardo bas VVilhelmus respondens satisfaceret. Ad vltimum hæc ei Hirsaugiensibus notificanda iniunxit: Ex parte, inquiẽs, summæ maiestatis Dei præcipio tibi, vt dicas Abbati & Priori, cæterisque fratribus Hirsaugiæ, quatenus secundum quod à nobis acceperunt, egenis & hospitibus cum omni charitatis affectu seruiant, mores & vitam suam secundum Regulam S. Benedicti corrigant, ante omnia iram & indignationem, odium & detractionem, quibus assiduè Deum offendunt, cum omni malitiâ abijcientes, sinceram & continuam dilectionem inuicem custodiant. Quod nisi obseruent, diuinam procul dubio vltionem se experturos sciant. His dictis, relicto eo cui hæc dixit, ipse cum alijs qui aderant, altiora quædam cœli secreta penetrauit. Ille verò senior, cui hæc reuelata sunt, cum per ipsum non auderet, per alium quendam seniorem Abbati cuncta intimauit. Qui pristinam quidem Abbatis VVilhelmi constitutionem de eleemosynâ obseruari iussit, cætera tamen quibus Monasterium perturbauerat, incorrecta dimisit. Quapropter secundum prædictam comminationem B. Patris VVilhelmi, ferè nil prosperum ei accidit. Nam paruo [45] post tempore Monasterij regimine exutus, & pontificali Infulâ apud Spiram indutus, odia omnium aduersum se ineptis moribus concitauit, sed mors naturæ interueniens, eum de medio amputauit.

Vindicta Dei cõtra Abbatem Gebhardum.

45.

XXXIX. Non est autem negligenter prætereundum, sed diligenter considerandum, quantâ sanctissimus Pater VVilhelmus veneratione dignus sit in terris, qui tantorum Prælulum consortio

tio secundum prædictam visionem fruitur in cœlis, quorum scilicet gloriosam memoriam annuâ deuotione celebriter recolit sanctæ Ecclesiæ plebs fidelis. Si quis verò ob incredulitatem suam dubitans dicat, huiusmodi visionem nõ esse obseruandam, sed inter vana somnia reputandam, hic talis indubitanter sciat, nusquam in Hagiographis scriptum esse, sed nec aliquando auditum fuisse, quod * nullus vnquam homo dæmonum suggestione, vel palam vel occultè prænonitus sit, vt declinaret à malo, & faceret bonum, sicut hîc factum est per benignissimum Patrem VVilhelmum. Constat quoque præclaros & præcipuos Ecclesiæ Doctores B. Gregorium & Augustinum nonnulla etiam sæcularium visâ personarum suis inseruisse opusculis ob ædificationem fidelium, quibus tamen non aliud adhibẽt testimonium, nisi quod nominatim quosdam testati sunt ea vidisse per somnium. Denique vt hæc omnia quæ de S. Viro digessimus, purissimæ veritatis sigillo cõcludamus, vnum adhuc testimonium proferemus, quo eum probamus in opus ministerij, quo in domo Domini tam fidelis seruus & prudens laborauit, diuinâ auctoritate assumptum, & verè secundum propositum vocari sanctum, cui diligenti Deum omnia cooperata sunt in bonum. *Rom. 8.*

Vtrum talibus visionibus sit fides habenda.

* *forte* vllus.

Pater sanctus cum graui infirmitate vexaretur, eâ scilicet in quâ Adæ debitum soluisse dignoscitur, à multis comprouincialium maioribus personis visitatur, vt & deuotioni suæ qua virum Dei mirabiliter semper coluerunt, bono fine perseuerantiæ satisfacerent, & tam sanctæ animæ egredienti animas suas commendarent. Igitur inter primos præcipuus & deuotissimus amator B. viri visitator affuit VVormatiensis 46 Episcopus, qui tam simplici animæ semper familiarissimus erat, & cui dilectus Domini sæpius sua secreta, nimiâ Episcopi familiaritate cogente pandebat. Huic itaq; tam excellenti atque probatæ in Ecclesiâ personæ, inter alia familiaritatis colloquia aperie-

XL.

Inuisitur à VVormatiensi Episcopo. 46.

aperiebat, & sub diuini nominis attestatione confirmabat: Cum adhuc, inquit, essem Ratisbonæ in Monasterio S. Emerammi, quadam nocte apparuit mihi vir plenæ ætatis, mirificæ vltra humanum modum pulchritudinis, hilari vultu me compellans, & vuas speciosissimas manu præferens, quas etiam mihi obtulit dicens: Accipe dilecte mi. Cuius muneris nouitate, & tanti viri affabilitate perculsus, diu fateor mecum admirans permansi stupidus. Tum ille: Scholam instituere curaui, cui te præficere ante omnia sæcula prædestinaui, quam si secundum placitum meum rexeris bonâ mercede in æternum remuneraberis. Nil amice dubites, idem cooperator, qui & remunerator. Ad hæc verba euigilans, multa mecum tractaui, eademque sæpius retractaui. Cumque multis meditationibus distenderetur animus meus, tandem ad portum tutissimum magnæ misericordiæ Dei cõfugi, & Domino Deo meo omnia mea (quam intimè poteram) commisi. Et ecce ipso die fratres nostri de hoc Monasterio adsunt, literas cum multimodis precibus afferunt, & vi quadam validissimâ de quiete monasticâ me abripiẽtes, paruitatem meam sibi præesse cõpellunt, ac cum obtestatione diuini nominis ne abnuerem postulata cogunt. Suscepi fateor inuitus iugum Domini, deuictus prece tam vnanimi. In quo officio si quid Deo placitum feci, ipsi fine quo nil validum, nil sanctum, ipsi, inquam, à quo bona cuncta procedunt sit pro his & vniuersis miserationibus & beneficijs suis, laus, honor, & omnimoda gratiarum actio per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Visio apparet VVilhelmo adhuc Ratisbonæ monacho.

Diuinitus destinatur Abbas.

EXPLI.

EXPLICIT VITA VVILHELMI ABBATIS HIRsaugiensis Cœnobij, ordinis Diui Benedicti, qui licet ab Ecclesiâ nondum sit Canonizatus, tamen nulli dubium, quin coram Deo sanctissimus existat, quemadmodum ex supradictis perpendi potest, &c.

SEQVITVR EPITAPHIVM S. VVILHELMI Abbatis Monasterij Hirsaugiensis pendens apud eius sepulchrum.

HAC in scripturâ VVilhelme pater tua vita,
Cunctis vt speculum, prælucet vita bonorum,
Vt quiuis doctus proprios hinc corrigat actus,
Quid sit vitandum discernens, quidue gerendum,
More quidem speculi radiat pia vita beati
Patris VVilhelmi, virtutum lumine clari.
*Exultet talis genitrix * Baioaria prolis,* * al. Bauaria.
Sueuia se tantum lætetur habere Patronum.
Norica quem prolem, tulit hunc Hirsaugia Patrem,
Fœlix per talem pastorem spiritualem,
Patrem multorum per doctrinam genitorum.
*Moribus egregius fuit, & virtutibus * almus,* * al. alius.
Perfectam plebem, Domino sacrauit & ædem;
Vobis Aureli, Petre, Paule patres venerandi,
Cellam Gregori tibi fundans, atq; Georgi,
Pluraq; Sanctorum loca disponens aliorum.
Struxit & instruxit, quia recto tramite duxit,
Collapsam dudum vitam reparans Monachorum.
*Quadruuij priscos transcendit * in arte Magistros,* * al. & ipse.
*Cantibus errorem varium correxit * ad artem.* * al. ac.
Terrarum metas scrutans, & temporis horas,

Ai

Ac numeros Abaci vidit tam mente ſagaci,
Artibus his illi queat vt vix quis ſimilari.
Quod verbis docuit, operum virtute probauit:
Pauperibus, viduis, claudis, cæcis, peregrinis,
Infirmis, ſanis, quocunq; dolore grauatis
*Proſpera prouidit, contraria * quæq; remouit.*
* al. cuncta.
Simplex & rectus, ſimul omnibus omnia factus.
Chriſte tibi viuus: mundo verè crucifixus,
Poſtquam per plures pro te ſudauit agones
47. Anno milleno compleuit & nonageno
Quarto Nonas Iulij, hîc petens de foſsâ ſepulchri
Sic defunctus tecum iam fælix viuit in æuum,
Pater is venerandus, & vir cunctâ laude precandus,
Inclyte VVilhelme Pater virtutibus redimite,
Alma fac nunc prece, liberemur vt à triſti nece
Corporis & animæ hîc Deo famulantes deuotè,
Obambulando tumbam, tibi Patri colendo paratam.
Bona illic dentur vnde noſtræ mentes purgentur,
Vbi es nobiſcum dulci ſomno expectans Chriſtum
Supremè venturum & iuſtis bona vitæ daturum.
VVilhelmi Abbatis ah nos vita iungat beatis
Soli me poſt tui autem, dans videre claritati,
Chorum cum turmâ, qui cælica ſunt ſuper aſtra.
Merè Deum laudantes, & dulci ſono iubilantes,
Per Paradyſi prata voluendo carmina lata,
Regi Regum Domino qui throno illic ſedet in alto
Valeat vox laudis, in æuum ſic ſemper manſuris.
Amen.

AD VITAM S. VVILHELMI ABbatis Hirsaugiensis COMMENTARIVS.

AVCTOREM *huius historiæ (quæ prima solet esse commentatorum disquisitio) ignoramus quidem; Verisimiliter tamen suspicamur fuisse Heymonem, illum ipsum qui sub successore huius S. VVilhelmi Gebhardo Prioris claustralis munere functus est. Nam ea quæ ab alio quodam fratre compendio potius est descripta, minorem laudem meruit. Fuit autem prædictus Heymo, vir moribus & scientiâ probatus,* qui in colligendis reseribendisq; libris pro fratrum vtilitate magnam diligentiam fecit. Erat sanè (*vt inquit Trithemius*) vir studiosissimus, & tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregiè doctus, ingenio subtilis, & satis admodum comptus eloquio, qui eruditionis suæ præclara monumenta reliquit. Scripsit inter cetera ingenij sui opuscula vitam & miracula B. VVilhelmi supradicti Abbatis: quam tamen quidam alius frater posteà volens ampliare, breuiorem reddidit. Scripsit etiam nonnullos sermones & homilias, quæ vt plurimum ex errore alteri cuidam eiusdem nominis Heymoni, ex monacho Halberstadiensi Episcopo, viro æquè doctissimo, de quo longè superius mentionem fecimus, ascribuntur. Itaq; commixtæ simul amborum Haymonum homiliæ habẽtur, vt non nisi sagacissimo lectori ex ipsâ phrasi, licet cum difficultate, possibile sit alterius ab alterius dicta decernere.

In Chron. Hirsaug.

1. SANCTI.] *Multò latius olim Sancti nomen quam hodie patuit*

Com. ad Conu. S. Afræ.

tuit (inquit M. Velserus) Episcopi vulgò Sancti, Sanctissimi, Beatissimi dicebantur; quæ iam solius summi Pontificis est appellatio. Reliqui etiam Christiani, certè probatæ vitæ, Sancti: quamquam adhuc mortales. Constantinus orationem, quam ad Christianam Ecclesiam scripsit, Ad Sanctorum cœtum inscripsit. Is nunc honor mortuis tantum, in apotheosim relatis habetur. Hoc loco Sancti nomen priorē tantum notione accipiendum, necdum enim, quantum constat, publico iudicio Romanæ Ecclesiæ declaratus ac Sanctorum catalogo insertus sacris anniuersariis, solennibusq; cæremoniis in ecclesiâ colitur. Sanctissimæ tamen vitæ fuit, vt ex priori Historiâ, miraculisq; ante & post mortem editis, patet.

2. VVILHELMI.] Plures hoc nomine alij Sanctitate clari habentur. Vt ille, de quo Mart. Rom. IV. Id. Februarij, & Bar. quem spirantem minarum & cædis, tanquam alterum Saulum, in discipulos Domini Catholicâ vnitate coniunctos, & sæuo schismate perturbante ecclesiam S. Bernardus Abbas Clarauallensis ad ecclesiæ coniunctionē reduxit: induxitq; ad sæculi cōtemptum, & Christi humilitatem amplectendam, prout constat ex Berna. Abb. Bonæuallis in vitâ S. Bernardi. Eius autem res gestas locupletius prosecutus est Theobaldus Episcopus, quas exscripsit Sur. Tom. 1. Scripsit easdem Albertus eius discipulus: quas & Cornelius Grapheus carmine cecinit. Migrauit ex hac vitâ anno Domini 1150. sepultus in Stabulo Rhodis, in agro Senensi.

Alter VVilhelmus Abbas in Daniâ, cuius acta fideliter conscripta ab eius discipulo, recitat Sur. tom. 2. Obijt diem anno Domini 1202. suæ verò ætatis anno 98. Honorius Papa III. cum de eius vitâ mandâsset diligenter inquiri: certior redditus à Gregorio Rom. ciue nobilis familiæ Crescentianæ, tunc S. Theodori Diacono Cardinale, legatum à latere agente in Daniâ, Suetiâ, atq; Boemiâ, retulit inter Sanctos. Extant in ipsius registro de eiusdem Sancti canonizatione literæ Apostolicæ datæ XII. Febr. anno 8. sui Pontificatus, Domini verò 1224. Fuit VVilhelmus prædictus primùm monachus S. Germani Parisiis sub Regula S. Benedicti; assumptus deinde in Abbatem S. Genouefæ ibidem, quod cœnobium

nobium Regulæ S. Augustini suppositum erat, Regularis aliquandiu vixit, sed postmodum à Rege Daniæ VValdemaro euocatus, priorem Regulam reassumens Abbas Roschildensis constitutus est, & bonis operibus plenus obijt anno regiminis 40. Claruit eiusdem nominis miraq; sanctitatis Gulielmus siue VVilhelmus Episcopus in Dania, tempore Suenonis Daniæ Regis, de quo plura scribit Saxo Gram. hist. Dan. lib. 11.

Item alius de quo Mart. Rom. VII. Kal. Iulij. In territorio Guleti propè Nuscum S. Gulielmi confessoris, Patris eremitarũ Montis Virginis. Habentur eius acta edita à R. P. Felice Renda Priore Monasterij Montis Virginis. Migrauit ex hac vita anno Domini 1142.

Item Gulielmus Episcopus Briocensis, IV. Kal. Aug. Cuius res gestas scripsit Godefridus Episcopus Bituricẽsis, quas recenset Sur. tom. 4. Excessit ex humanis anno Domini 1241. Retulit eum in Sanctorum numerum Innocentius Papa IV. cuius extant eâ de re literæ Apostolicæ, datæ anno vndecimo Pontificatus sui, vt videmus in registro ipsius, anno vndecimo, numero 532.

Alius item Gulielmus Episcopus Bituricensis, de quo Molanus in addit. ad Vsuardum, & Felici, & Galesinius IV. Id. Ianuarij. Huius vitam ab Abbate Carollioci eius contemporaneo descriptam, adfert Surius Tomo 1. de sanctis hac item die. De eo meminit & Petrus Æquilinus Episcopus in Catalogo Sanctorum, lib. 2. c. 63. Fuit primum monachus Grandimontensis, ordinis S. Benedicti, deinde Monachus & Abbas Caroli loci, ordinis Cistertiensis, & post illius sedis Episcopus 68. vt notat Antonius Democharis de sacrificio Missæ, Tomo 2. cap. 24. Agit de eodem Maurolycus in Martyrologio, die sequenti; & Vincentius in Speculo, libro 29. cap. 62. die præcedenti obijsse asserit.

De alio quodam agit D. Arnoldus VVionius lib. 3. Ligni vitæ XVI. Kal. Maij, his verbis: In Siciliâ iuxta castellum bonum, sub Marone Monte, ac gemellis collibus, in cœnobio S. Mariæ à partu, depositio S. Gulielmi confessoris. De quo Molanus in addit. ad Vsuardum, Felici, Galesinius & Maurolycus hac die. Fuit iste Gulielmus Monachus eiusdem cœnobij, sed quo claruerit tempore ignoro.

Alius item VVilhelmus Comes & Monachus Gellonenſis, cuius vitam integram ſubiungimus, de quo plura vide ibidem.

Rurſum de alio agit præmemoratus D. Arnoldus VVionius XVI. Kal. Ian. ſequentibus verbis: Rothomagi, S. Gulielmi, cognomẽto Longaſpada, Ducis Normandiæ ſecundi, qui dum viuus etiam inter aulicos ſtrepitus à primâ ſuâ ætate monachale propoſitum inuiolabiliter ſeruâſſet, & ſub veſtibus Ducalibus habitum etiam monaſticum cœlâſſet, inſidijs Ludouici Franciæ Regis, virtuti & bonitati eius inuidentis, ab Arnulphi comitis Flandriæ militibus, alloquium ſimulantibus ad Pinniciacum doloſè & perfidè trucidatus, martyr (*vt creditur*) ad cœleſtia euolauit. Cuius corpus Rothomagum relatum, ibidem digno honore in cathedrali Eccleſiâ Diuę Mariæ virginis, ſepultũeſt. *Plura de eodem vide in notis ad eundẽ diem, apud dictum Auctorem.*

Sanctus quoque VVilhelmus Abbas Diuionenſis noſtri ordinis (inquit Trithemius in Chron. Hirſaug.) hac ipsâ (nempe MXX.) claruit ætate. Vir doctus & vitæ ſanctiſſimæ, maximo feruens zelo regularis diſciplinæ, qui in vita & poſt mortem multis miraculis claruiſſe perhibetur. Meminit eiuſdem Trithemius lib. 3. de viris illuſt. ord. S. Ben. cap. 240.

Ac vt multos alios præteream, conſtat quam plurimos huius nominis clariſſimos dignitate, rebusq; præclarè geſtis celeberrimos viros extitiſſe, quorum mentio tam in ſacris quam profanis ſcriptorum monumentis frequens habetur.

3. HIRSAVGIENSIS COENOBII] *Origo huius prima in hanc* In Chron. Hirſaug. *ferè ſententiam recenſetur à Trithemio. Tempore Ludouici I. Imperatoris, Erlafridus comes de Calue, vir diues & potens apud Imperatorem, habebat filium Notingum nomine, qui propter ſcientiam literarum ac vitæ honeſtatem, ſub Carolo Magno Imperatore, patre Ludouici, Epiſcopatum Vercellenſis eccleſiæ fuerat conſequutus. Is poſteaquam eccleſiam ſuam aliquandiu probè rexiſſet, dulcem viſendi patriam deſiderio accenſus, atq; ad eã ne vacuus accederet, præcipuum*

quoddam

quoddam munus secum adducere cogitauit. Quare cum iam anteà reliquias Aurelij Armenij Redicianorum præsulis impetrâsset, eas ad Ecclesiam suam Vercellensem deferens, in mausolæo pulcherrimo, collocauit. Itaq; visurus patriam dulcesq; genitores, hunc thesaurum inferre Germanis cum deliberâsset, inter spem metumq; fluctuans animo, ne fortè illatio hæc aut S. displiceret Aurelio, aut si à populo Vercellensis ecclesiæ perciperetur, à suo cogeretur resilire proposito, rem omnem diuino consilio terminandam commisit. Ergò dormienti illi D. Aurelius apparens, Nottingumq; compellans ex nomine dixit: Salus tecum frater Notinge, surge, ne fleueris, ad hoc veni vt pergam tecum in Germaniam, plures ibi Christo adducturus populos iam corpore mortuus, quam si adhuc viuus inter gentes prædicãs miraculis coruscarem. Quo cum veneris, ibi monasterium seruorum Dei constitues, vbi cæcum nobis obuiam subitò conspexeris illuminatum. *His dictis Nottingus confirmatus ipsâ nocte sarcophagum clam aperuit, ipsasq; sacras reliquias in domum suam occultè deportauit, mausolæum diligentissimè reclusum multo tempore Vercellenses delusit, hospitem se habere putantes, quem non habebant.*

Nottingus verò cum sacro thesauro itineri se accinxit, cumq; patriam attigisset, eo ipso loco, vbi postea monasterium S. Aurelij constructum est, cæcum habuit obuium, clamantem: S. Aureli, adiuua me, vt videam te. Statimq; aperti sunt oculi eius, & vidit perfectè. Nottingus cognito signo, à Sancto sibi dato, patri dixit: Hunc pater locum S. Aurelius in mansionem elegit. Interim tamen dum monasterium construeretur, sacerrimæ reliquiæ in sacello D. Nazarij sunt repositæ. Contigit hoc anno Domini DCCCXXX. *Eo ipso, ad preces Nottingi filij sui cæpit Erlafridus comes ædificare Monasterium Hirsaugiense, & perfecit anno septimo, Domini nimirùm* DCCCXXXVII. *Inde ad Rabanum Maurum Abbatem Fuldensem (erant eo tempore in cœnobio Fuldensi, ducenti & septuaginta monachi viri religiosi, & pro magnâ parte in sacris Scripturis doctissimi) legatos misit, postulans sibi*

concedi quindecim Monachos & Abbatem. Rabanus cum suis deliberatione factâ, quindecim suorum delegit, quibus præfecit Abbatem Lindbertum venerabilem senem, virum nobilem secundum seculum, sed multò nobiliorem secundum Deum, qui & Hirsaugiam deuenerunt Anno Domini DCCCXXXVIII.

Ab illo ergò anno inhabitârunt Hirsaugiam Monachi sub decem Abbatibus, vsque ad annum Domini MII. quo Conradus Abbas est mortuus, & inde vacauit Abbatia annis LXIII. Nam expulsis Monachis Clerici subintroducti prauis moribus suis, statũ illius monasterij quõdam felicẽ non euerterunt solũ, sed etiã ad desolationẽ vsq; redegerunt.

Anno autẽ Dominicæ Incarnationis ML. Leo IX. Pontifex Max. Germaniam adiens, per occasionem itineris inuisit Adelbertum comitem de Calue monasterij Hirsaugiensis aduocatum, sed desolationis patronum, sanguine sibi iunctũ, erat quippe auunculus eius. Apud quem commorãs per clericũ quendam resciuit statum Hirsaugiæ miserrimũ. Vnde locũ ipsum inuisens, corpus S. Aurelij studiosè quæsiuit & inuenit. Quare comitẽ terribilibus verbis ad restituendũ in integrũ monasterium perstringẽs, ab eo promissionẽ accepit, se omnia diligenter facturũ pro viribus, quæ sibi iniungerentur. Digresso Pontifice, cũ Adalbertus comes segnius promissionem exequeretur, vxor eius VViltrudis deuota valdè fœmina apud maritũ insistere non destitit, vt tandẽ aliquando mãdata S. Pontificis executioni demãdare curaret. Euicitq; tandẽ an. D. MLIX. ita vt Adelbertus coniugis importunitate victus, cum artificibus consiliũ agere cœperit, & antiquam structuram demoliri iusserit. Vnde anno sequente MLX. fundamenta nouæ Ecclesiæ sunt facta, & anno MLXX. est perfecta. Decẽ itaq; annis in constructione monasterij laboratũ est. Ante consummationem operis tamen Adalbertus vxoris persuasionibus motus misit ad Abbatẽ monasterij solitariorũ, quod ab antiquo ad Eremitas dicebatur in Nigrâ syluâ, rogans sibi Monachos vitâ & conuersatione præcipuos mitti, qui monasteriũ à se fundatũ sub regulâ S. P. Benedicti possideãt. Missi sunt ergò de monasterio prædicto fratres cũ Friderico venerabili viro, quẽ sibi præfecerũt Abbatem. Venerunt q;

verunt q; ad Hirſaugiã, anno Domin. natiuitatis MLXV. pridie Non. Decemb. à deſolatione primi monaſterij LXIII. à fundatione aũt primæ CCXXVII. an. Hæc omnia plenius lege apud ipſum Trithem. in Chron.

Cæterum de loco hoc Hirſaugienſi mirabilis quædam circumfertur fabula dicam an hiſtoria? fides ſit penes Auctores, à pluribus tamen decantata, à quibuſdam etiam pro vera recepta. Ea ſic habet:

Ferunt Conradum Cæſarem multas leges tuliſſe, ac quidem perutiles, hanc præcipuè, vt cuiuis principi capitale eſſet pacem & quietẽ prouinciarum turbare. Latâ itaq; in pacifragos lege, Lupoldus Comes de Caluue apud Cæſarẽ violatæ pacis accuſatus, vitæ ſuæ timens, Imperatorẽ Cunradum II. fugitãs, cum vxore prægnante venit in ſyluam quæ nigra dicitur, latitansq; in tugurio cuiuſdã pauperis, clam ſe cũ vxore abſcõdit: contigit tũ, quod Imperator, dũ feras inſequitur, illuc caſu fortuito ad tuguriũ diuertiſſet, aberat autem Comes Luipoldus, eaq; nocte vxor eius maſculũ peperit, quo vagiẽte, vox audita eſt: O Imperator, infans iſte erit tibi gener & hęres. *Territus Imperator, mane facto, famulis duobus præcepit vt infantem occiderent iam à patre & matre metu derelictũ. Famuli miſericordia moti, puerũ ſubtus arborẽ abſcondũt, & cor leporis pro corde pueri adducũt. Dux Sueuiæ Hermãnus præteriẽs, puerũ reperit atq; recollegit, tandem in filiũ adoptauit: longo poſt tẽpore, Imperator videns Adoleſcentẽ hunc compoſitũ, rogat Ducem vt ſibi eũ traderet moribus imbuendum. Quo facto, incidit aliquãdo Imperatori ex cõiecturis varijs, hunc puerũ eſſe, quẽ mandauerat occidi, & volẽs fata illudere, literas Adoleſcenti tradidit reginæ deferẽdas huiusmodi tenoris:* In quantũ tibi vita chara eſt, mox receptis literis, clam facias portitorẽ occidi. *Arripuit iter adoleſcens, nihil mali ſuſpicatus, Spiram celerius venit, & ad Decanũ Maioris Eccleſiæ diuertit, dormiẽte eo, Decanus curioſitate ductus, literas aperuit, & abhorrens à tãto facinore, pro verbo,* occidi facias, *ſcripſit,* filiam noſtram vxorem tradas, *quod & Imperatrix fecit, nuptiis pro more Aquisgrani celebratis. Conradus huiuſce copulationis certior factus, ſtupẽs, ſingulaq; reuoluens, didicit à Duce Hermanno, Adoleſcentem hunc filium eſſe de*

Caluue,

Caluue, neq; cœlesti numini obsistere se valere intelligens, Henricum generum & filium vnicum & regni consortem asciscit. In cõdignam igitur gratiarum actionem, quod per Spirens. (fuerat enim Cancellarius ipse Spirens. Ecclesiæ Decanus) ab effusione innocentis sanguinis liberatus sit, statuit in perpetuam rei memoriam, vt omnes Reges & Imperatores infra Oceanum & Alpes morientes in hoc à se fundato Mausolæo sepeliantur, quod & ipse primus impleuit. Hanc iucundissimam historiam recensct Vincentius Gallus, Gotefrid. Viterb. part. 17. Maximus, Martinus, Hermannus, D. Steinhobel, VVolfg. Baur. & Guiliel. Eysengrein Chron. Spir. lib. 11. Porrò in MSS. additur. Ille autem locus nemorum, vbi creatus fuit in syluâ nigrâ, Hirsaugia vocitatur, vbi nobile cœnobium monachorum ordinis D. BENEDICTI *cõstructum fuit. Tota hæc historia paraphrasticè ibidem descripta habetur carmine Hexametro intermixtis tertio quoq; versu pentametris. Ad calcem hæc adiecta sunt:*

Ille locus nemorum, vbi vir fuit ille creatus,
Nobilis ecclesia monachis Hirsaugia vocatur,
Magna creatori nunc ibi pompa datur.

Comitis huius Luipoldi à Conrado effugati mentionem quoque facit Platina in vitis Pontificum, quem tamen Lapuldum vocat: Lapuldum comitem Germaniæ acerrimè persecutus est, quod ab eo turbandi otij & quietis, initium ortum fuerat. *Hæc sunt quæ de miraculoso ortu Henrici III. quidam memoriæ prodiderunt. Illud equidem apud Auctores dubium cõtrouersumq; est, dum quidam eum filium naturalem Conradi (cum quo, vt R. Card. Baron. inquit, dispen-*
A.C.1027. 5. *sâsse summum Pontificem par est credere, cum appareat ex eâ, illegitimè habitâ nempè, progenitos filios, habitos esse legitimos, atque regni substitutum hæredem eorum primogenitum) alij generum & filium adoptiuum tantum faciunt, dicuntq; in vxorem habuisse Chunegundem Conradi II. filiam, quam in Lymburgensi Monasterio sepultam fuisse scribit Trithemius. Vrspergensis & qui eum sequuntur Chunegundem supradictam Henrici III. coniugem, filiam fuisse scribunt*

Cnuti,

Cnuti, siue Canuti Regis Daniæ & Angliæ. Trithemius eam Guniheldam appellatam, ac sine liberis mortuam tradit, post quam duxerit secũdam Agnetem filiam VVilhelmi comitis Pictauiensis, ex qua suscepit filium Henricum huius nominis Imperatorem quartum, qui post eum regnauit: & duas filias Giselam monialem, & Adelheidem Abbatissam in Quendelburg.

Quæ autem fides habenda sit præmemoratæ historiæ prudens lector iudicabit, præsertim cum eam Trithemius noster ac Reuerendissimus Card. Baron. diligentissimi alioquin scriptores, silentio præterierint; nobis hac ratione Lectorem monuisse sufficit, ne quid studiosè reticuisse, aut prudenter præterire voluisse facile iudicari possimus. Verisimilis enim ratio intercedere videtur, dum apud diuersarum opinionum scriptores Comites de Caluue (vnde Henricus III. originem traxisse refertur) tam diligenter annotentur.

4. MONASTERIO S. EMERAMMI.] *Huius origo talis est: Emerammi sanctissimi Episcopi & Martyris apud Boios famâ magis in dies magisq; clarescente, Theodo princeps cædis noxiam, cuius pœnitentiâ dudum caperetur, aliquâ expensurus, Georgij martyris ædiculam adiecto monasterio, quo loco lucum olim Deorum religione sacrum fuisse memorant, ampliat. Petri Apostoli & ipsius Emerammi nomine indito, primus Apollonius Abbas, anno post Christum natum* DCXCVII. *præfectus est. Ipsius S. Emerammi res gestæ breui compendio ita colliguntur.*

Hund. in metrop. & mſ. de monasterijs Boicis.

Fama percrebuerat, de Hunnicâ quâ feritate in homines, quâ impietate aduersus Deum. Eâ excitus Emerammus Episcopus, sanctiori charitate incensus, sibi ex vltimâ Aquitaniâ Pictonum vrbe, quæ Augustoritum antiquis fuit, longam in Pannoniam profectionem indixit, si immanes animos ad mitiorem cultum & salutarem Christi religionem posset reuocare. Pluribus assumptis comitibus, passim per Germaniam, vt ferebat itineris ratio, de pietate verba faciebat, Vitalis interpretis vsus operâ, linguæ ipse imperitus. Vbi Reginoburgum

M. Velſ. rerũ boic. lib. 4.

ventum, ad Theodonem rerũ iam potientem, consilium aperit, constituisse Hunnos Christo lucrifacere, vel certè vitam in egregio conatu ponere. Bellum his cũ Boijs tunc maximè erat, & latè ad Anasũ vastati agri, exciſę vrbes, intuta itinera. Quod caussatus Theodo, hominis alias moribus & sanctimoniâ captus, clemẽter reluctantem retinet, siue Episcopi siue Abbatis dignitate fungi mallet, Boijs eam potissimũ operam impenderet, se hospiti nullâ in re defuturum. Emmerammum præ Ducis verbis res ipsa mouit, recentes in Christianâ fide Boij, à simulachrorum cultu vix temperabãt, majores præsertim natu, vt est magna vis inueteratæ consuetudinis, lucem tenebris miscebant, liberis Christi dœmonumque calicem promiscuè hauriendũ propinantes: quod ergò hîc se propositi finem, mutato tantũ gentis nomine, assequi posse crederet, manere inducit animum, & impietatis reliquas fibras altè actas, radicitus euellere. Iamq; illi vni rei intentus, triennium magno cum fructu in prouinciâ egerat, cum diuino spiritu afflatus, iter Romam religionis nomine adornat. VTA Theodonis filia, ex Sigibaldo primariæ nobilitatis iuuene, ventrem ferebat, neque res diutius celari poterat, cum Emmerammum, de discessu cogitantem, supplices adeunt, & ad pedes abiecti, opem miserandum in modum implorant, extrema promeritis nullam præterea effugij spem esse, nisi quam à Deo ipso interprete exspectarent. Episcopi animũ adolescentum miseratio subijt, grauiter increpitis, criminis in se transferendi potestatem facit, & verò accepto cõmeatu, viam ingreditur. Constitit omnia, quæ exin sequuta sunt, diuinitus ab illo præcepta fuisse, atq; adeò præsignificata priusquam fierent. Vocato quippe Volfleto presbytero, & imperata se viuo silentij fide, subiungit, Si ob alienum aliquãdo scelus per durissimos cruciatus necatum audiret, ne insumulatæ culpę affinem crederet, quin insontem ea passum iam nunc sciret, & testari pergeret, apud sacri præsertim

tim ordinis viros, ne quis mentito doctoris exemplo cõsternatus, rectum virtutis tramitem deserat. Trium dierum iter progressus, nulla manifesta de caussa expectabundus substitit, mirantibus comitibus. Vt interim stuprum fassa, absenti imputauerat. Pater ira in tantũ excanduit, vt vix ab amicis cõtineretur, quo minus eã stricto ferro in vestigio occideret. Vt mentis potẽs fuit, bonis exutam in Italiã exulatum mittit. Lantbertus frater, iuuenta feruidus, & sororis cõtumelia accensus, Emmeramnũ citato cursu insequitur, & vt Helfendorfi substiterat, loco nomẽ inter Isaram & Oenũ manet, breui assequutus, statis tertiæ horæ precibus, ante sacras reliquias lucernis ardentibus, vna cũ clericis vacantem reperit. Mox productum acerbè irridẽs, Salue inquit Episcope, salue affinis. Hæc nobis pro tot beneficijs debebatur gratia? sic principalẽ domum, & hospitij ius reuereri didicisti? Excusandæ innocentiæ præ Lantberti furore locus nullus fuit. Scipione quem manu forte gestabat, in astantis pectus ferociter impacto, satellitibus excarnificãdum tradit. Per omnia membra sæuitũ, oculi eruti, lingua, aures, nares, manus pedesq;, & quæ honestè nominari nõ possunt amputata, nullo interim lethali vulnere, quo mortẽ inter sumos dolores in longũ traheret. Neq; eo minus Emmerammus non vocẽ modo, sed & vultũ & gemitus in potestate semper habuit, Deum laudibus & precibus cõtinenter venerans, multis vicissim signis diuinitus editis, numinis in eũ propensione cõprobatâ. Et apparuêre improuisò viâ publicâ equites ignoti duo, eximiâ specie, qui de precisis artubus multum scisciatati, repertos asportauere, neq; postea cõspecti sunt. Visum sacro horrore astantes perfudit, nam & comites sub initium metu dilapsi redierãt. Lacerũ ergò semianimumq; corpus reueriti, Aschaimũ deuehere properant, supremum spiritũ in æde Petri Apostoli, honoris causa exhalaturum. Nouẽ passuum millib. progressis cũ tria restarẽt, Emmeramnus primùm eiulasse auditus,

de curru depositus expirauit, immensæ simul lucis splendore perfusus, quæ morientis ore progressa, & recta in cœlum lata, spectantium oculos in fulminis morem perstrinxit. In supplicij & mortis vestigio ecclesiæ positæ: cadauer metu & veneratione attoniti, Aschamni pro tempore condidêre, postea Reginoburgum, monitu eorũ qui sibi per quietem imperatum dicerẽt, annuente principe, maxima celebritate, ad diui Georgij translatum est, hanc enim ille Ecclesiam dum viueret frequentare solitus. Multa rursus toto itinere miracula, Lantbertus siue patris imperio, siue sceleris conscientiâ & furijs actus, siue facti inuidiam non ferens, ad Auares profugus interijt, & ceteroqui manus Episcopo intulisse, nulli impune fuit. Lantberti stirpem numinis vindicta per annos amplius trecentos manifestè exercuit, neque quisquam ex eâ nisi demissè suppliciterque deprecatus, per tot ætates immunis. Emmerammum morte functum X. Kal. Octobr. ex martyrum fastis constat, annus post Christum natum sexcentesimus quinquagesimus secundus epitaphio proditus.

Leue & ridiculum est quod deinde dicturi sumus, sed & ipsum ad claritatem eximium. Iudæos qui Reginoburgum olim frequentes incoluere, vnum, ex omni diuorum numero, conatos esse à Christianis abstractum, ad se impudenter transferre, quod nescio an vlli præterea mortalium in isto animorum & religionis dissensu contigerit: nam nominis indicio de gente constare posse contendebant, id ab Amrama fluere, Hebræâ origine, cum & Moysi pater eâ appellatione fuerit. Vtq; nullus genti mentiendi modus, fabellam addidêre, quod occisi corpus aduersõ Danubio incredibili facilitate præter fluminis naturam ad vrbem subuectum diceretur, Moysææ legis volumen, quo Emerammus vsus dum viueret, tum vna latum, causam fuisse miraculo, à Christianis corporis reliquias ad cultum interuersas esse, codicem ab ijs neglectum, ad synagogam redijsse.

Erat

Erat priscis illis temporibus Monasterium S. Emmerammi vix Capella Monachorum, sed postea per Simpertum Episcopum Ratisbonensem, iussu Caroli Magni, fuit magnificè inchoatum & perfectum.

5. STVDIO VARIARVM ARTIVM.] *Hoc Trithemius hisce testatum reddidit inquiens:* In his artibus, quas vocant Liberales, eruditissimus fuit, vt suos etiam longè vinceret præceptores. Erat enim Philosophus acutissimus, & in disputationibus adeò subtilis, vt à nemine penitus vinceretur. *In Musicâ singulari doctrinâ fulgebat: quippe in laudibus sanctorum, qui cantus plures dulci modulamine composuit. Porrò in Mathematicâ & Astronomiâ, in Arithmeticâ, & in arte Calculatoriâ tam eruditus fuit, vt cum in omnibus haberetur doctissimus, his quasi singulariter scientijs operam nauâsse videretur.*

6. MVLTA MONVMENTA RELIQVIT.] *Eadem planè alijs tamen verbis sic narrat Trithemius:* Quid autem ediderit, obiter indicabimus: Scripsit enim de Musicâ, de Compositione Monocordi, de Astrolabio & eius compositione, de compositione quoque horologij, de correctione Psalterij, & de ratione Computi Ecclesiastici.

De eodem ita scripsit F. Petrus VVagner cœnobita Monasterij SS. Vdalrici & Afræ Aug. Vind. plusquam ante centum annos in suo libro quem inscripsit: Congestum virorũ illustrium ord. S. Benedicti: VVilhelmus monachus venerandus præter alia multa opuscula, præcipuum & insigne opus edidit, librum scilicet Dictionarium, in quo procedit secundum ordinẽ Alphabeti, & de qualibet dictione facit pulchrum sermonem: Magnus valdè & ingens est liber isse, & applicabilis ad omnem mundi materiam: Et nisi fallor, is est, quem consuetudo Librum, seu, VVilhelmum de Vniuerso appellari obtinuit.

7. IN MVSICA PERITISSIMVS FVIT.] *Liber quem de Musicâ hic noster VVilhelmus conscripsit, olim in nostra Bibliotheca asseruabatur MS. cum alijs antiquissimis eiusdem farinæ tractatibus ma-*

nuscriptis, nunc aut sublatus vagatur, aut certè delitescit alicubi, nam quamuis diligenter inquirenti non occurrit.

8. IN QVADRVVIO.] *Quæ huius vocis sit notio, cum non passim omnibus pateat, fusius explicandum.*

Septem vulgò numerantur à doctis & eruditis hominibus artes liberales. Tres priores informant aut rationem, aut orationem. Rationis ars omnium generalissimum & communissimum reliquarum instrumentum, caput, dux & magistra, est Dialectica, siue Logica. Oratio deinde, cum sit vel emendata tantum vel ornata: Illius ars erit Grammatica; huius Rhetorica. Atq; hæ tres artes à veteribus dictæ sunt Triuium.

Quatuor verò posteriores, agunt atq; tractant, vel de numeris; vel de magnitudine; vel de rationibus & proportionibus sonorum; vel denig; de naturâ & affectionibus corporũ cœlestium: de primo est Arithmetica; de secundo Geometria; de tertio Musica; de quarto Astronomia. Atq; hæ quatuor artes etiã ab antiquis appellatæ sunt Quadruuiũ.

Idem paullò aliter & breuius sic explicabis:

Septem artes liberales tractãt de oratione vel magnitudine. Oratio verò cum sit vel emendata, vel vera, vel ornata, primam tradit Grammatica; secundam Dialectica; tertiam Rhetorica; & hæ tres vnico dicuntur nomine Triuium.

Magnitudo denig; est, vel quota, vel quanta. Hinc Pythagorei diuidunt quotam per se esse, aut referri ad aliud: Item quantam quiescere aut moueri. In primo membro Arithmeticam: in secundo Musicam: in tertio Geometriam: in quarto Astronomiam collocant. Atq; hæ quatuor à veteribus appellantur Quadruuium.

9. RECTORE DESTITVTI.] *Non morte eius, sed malignâ suâ voluntate ac odio erga illum. Erat is Fridericus, quem, vt supra dictum est, secundò instaurato à se Monasterio Adalbertus comes præfecerat, vir vitæ sanctissimæ, vtpote quo mortuo catena ferrea ad nudam carnẽ eius inuenta est, quã multis annis creditur non sine dolore, quod cicatrices carnibus infixæ monstrare poterant, in occulto portâsse. Supra*

eius

eius sepulcrum quoq; nocturnis horis lumina emissa, vt multi testabãtur, visa sunt, & signa diuinitus ostensa. Depositus est autem à regimine anno MLXVIII. *cum venisset apud fratres suos in contemptum, eò quod rebus diuinis totus esset intentus, lectioni, meditationi, orationiq; & contemplationi deditus, fratribusq; suis quos ipse sibi cõstituerat rerum omniũ monasterij disponendarum, in externis œconomos nimiam in agendis permitteret libertatem. Causabãtur propterea ipsum ignauum & rerũ temporalium inexpertum esse, quippe qui ad eorum commodum & vtilitatem in externis, nihil penitus prouidere aut posse aut velle videretur. Cum verò hæc causa minus esset sufficiens, vt ab officio propterea amoueretur, inuidiâ obcæcati æmuli crimen fornicationis in eum mendaciter cõposuerunt, atq; ita iniuriosè eiecerunt, per Comitem, ad quem tamen vtpote Laicum hoc minimè pertinebat, depositum.*

10. HONESTOS LEGATOS.] *Erant ij duo ex congregatione Hirsaugiensis cœnobij fratres, cum legatione Comitis Adelberti, qui ad monasterium S. Emmerammi Ratisbonam proficiscentes, nomine omniũ, VVilhelmũ sibi dari in Abbatem postularent. Quod verò hunc eligeret eo moti sunt, quod quidam ex fratribus notum antea viderant, reliqui famam bonæ conuersationis eius satis celebrem sæpe audiuerant.*

11. CONSENSVRVM ELECTIONI.] *Non solum hac causa motus, sed Trithemius aliam insuper insinuat, quam hic auctor noster forte prudens præterijt, eò quod etiam fuerit ex prædictis fratribus. VVilhelmus namq; cognitâ depositione antecessoris sui iniquâ, grauiter tulit, exhortariq; Comitem, vt virum innoxium, dignitati pristinæ restitueret, cœpit. Cum verò eum obstinatum cerneret, redire ad monasterium suum, cogitauit. Vix tamen ac vix fratrum precibus eluctus, mansit quidem, sed nec ordinari ab Episcopo voluit, nec in loco Abbatis stare, aut residere, quandiu Fridericum antecessorem suum (qui in Larissensi S. Nazarij monasterio iam degebat) in hac vita cognouit esse superstitem. Verum eo non post multos menses, ad Dominum migrante, suæ tandem ordinationi consensit.*

12. CVRTEM REGIAM.] *Curiam regalem intelligit. Erat antiquis illis*

illis valdè familiaris dictio hæc barbara, atq; per eam non solum aulam aliquam principis, sed etiam rusticanam possessionem, quam nos Germani appellamus, ein Hof/ *indicare volebant. Porrò dolus hic Comitis, post quinquennium demum viro Dei innotuit.*

13. IV. NON. IVNII.] *Anno nimirum* MLXIX. *Ordinatus est ab Henrico XXXII. Nemetum siue Spirensium Episcopo, qui ex Canonico Goslariensi, stirpe antiquissima Comitum de Scharffenberg ortus, Einhardo in Episcopatu successit.*

14. NOVVM CHIROGRAPHVM.] *Forma huius instrumenti de verbo ad verbum talis est.*

PAGINA TESTAMENTARIA LIBERTATIS.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

HENRICVS *diuina fauente clementia Rex, omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, quod in regno nostro regulare quoddam monasterium situm est, in prouincia scilicet quæ dicitur Teutonica Francia, in episcopatu Nemetensi, in pago VVernigavv dicto, in comitatu Ingersheim, in sylua quæ dicitur Nigra, iux... fluuium qui dicitur Nagaltha, quod Hirsaugia, siue S. Aurelij cella nuncupatur, vbi & idem sanctus corpore requieuit: quod tempore Ludouici Pij Regis, in honore S. Petri & Aurelij Episcopi constructum honorificè & Deo dicatum fuit ab Erlafrido quodam nobili senatore & religioso, & à Nottingo filio eius reuerendissimo Vercellensi Episcopo, alijsque parentibus Adelberti comitis de castello Caluue, sed deinceps à posteris eorum dissipatum est. Nunc autem idem comes Adelbertus instinctu Dei tactus, necnon coniugis suæ VViltrudis crebris precibus adhortatus, monasterium ipsum iam restaurauit, & quæ aliquandiu inibi defecit, vitam monachicam reparauit, & prædia quæ illuc antiquitus à*

parentibus

parentibus suis tradita sunt, sed partim à posteris eorum inuasa, partim & à seipso quasi iure hæreditario possessa sunt, reddidit, & insuper de proprijs tot ac tantas prædiorum illuc impensas, contradidit, quo seruitium Dei nunc à quindecim fratribus sub regula S. Benedicti inibi procurandis gratia Dei peragi & stabiliri possit, coniuge ipsius prænominata, filijs Brunone, Adelberto, Gotfrido, & filiabus Vta & Irmingarde sibi in hoc & in omnibus his institutis consentaneis, & in primis ipsum scilicet locum Hirsaugiam, cum omnibus nunc in præsentiarum illuc collatis iustitijs legitimis & pertinentijs prædiorum, seu quarumcunq; rerum ex toto super altare S. Aurelij reddidit, delegauit & contradidit Domino Deo, sanctæ Mariæ, sancto Petro Apostolo, S. Aurelio Episcopo, & S. Benedicto in potestatem & proprietatem, & prædicti Monasterij abbati nomine VVilhelmo, eiusque successoribus in dispositionem liberam cellæque necessariam, fratribusque Deo sub regula monasticâ inibi seruituris ad vtilitatem. Et ne vnquam à posteris similiter vt à parentibus suis, Dei seruitium deinceps illic destrui possit, prudenter prorsus decreuit & instituit eandem cellam cum omnibus suis pertinentiis nunc collatis & dehinc deferendis ab hac die & deinceps omninò non subdi, nec subesse iugo alicuius terrenæ personæ vel potestatis, nisi solius abbatis dominationi, ordinationi & potestati, & sic totius libertatis iure & priuilegio eam adampliauit & ob regni cœlestis hæreditatem in Christo omnimodis stabiliter sublimauit. Dehinc omni potestate, seruitio, iure, & proprietate prædicti monasterij, ipse cum coniuge, filijs & filiabus supradictis sese omninò fideliter abdicauit. Sed hoc totum reuera felix negotiator prudenter effecit, primum ob spem ac præmium uitæ æternæ, ob remissionem peccatorum, ob salutẽ corporũ, & sempiternam requiem animarum, & ob quotidianã memoriã sui ipsius, coniugis suæ prænominatæ, filiorũ & filiarum suarum, nec non omnium parentum, posterorum, consanguineorum, amicorũq; suorũ, & omnium ad curam suã pertinentium. Ob memoriam quoq; regũ, episcoporum, principum, & omniũ prædictæ cellæ statũ & honorẽ diligentiũ ac defendẽtium & omniũ Christi fidelium. Et quod prout posse

 suberit

ub erit cunctis Christi pauperibus beneficum semper illic patefiat receptaculum. Adhæc etiam vt fratres cœnobij ipsius nunc congregati, adhucq; in Christo congregandi, tutius ac liberius Domino Deo in sanctæ professionis securitate seruire possint, huiusmodi libertatis eos munere dotauit. Vt quandocunq; patre hoc spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam S. Benedicti, inter se vel vndecunq; vbi opus fuerit abbatem sibi non solum eligendi, sed etiam constituendi. Quem cum fratres regulariter elegerint, dehinc vt solet, ad constituendum eum in chorum monasterij conueniant, & vna clero aduocato populoq; in sanctuario præsentibus, decanus vel quicunq; prior sit loci ipsius, accipiat virgam regiminis de altari S. Aurelij, & absq; omni prorsus contradictione tradat in manum ipsius, quem tota fratrum congregatio sibi elegerat. Hic subinde canonicè abbas ordinatus, sine alicuius personæ dominatione & impedimento susceptum ministerium suum pro posse & scire suis impleat, soliq; DEO secundum ordinem suum liber seruiat, liberamq; omnium rerum sibi comissarum in Christo deponẽdarum intus & foris potestatem habeat. Qui nisi fortè peculialiter abuti præsumpserit institutâ libertate, familiâ, bonis, rebusue sanctuarij, & ob id fratrum promotiones contemnens, ad suam suorumue priuatam cupiditatem & libitum temerè ea dissipauerit, vel si beneficia quibuslibet personis nisi necessarijs monasterij ipsius seruitoribus præstiterit, Aut si regibus, episcopis, seu quibuscunq; personis consentaneis annuerit, si forte libertatem monasterij peruertere, sibiq; locum sanctũ subijcere attentauerit, sine aliquod seruitij statutũ inde fieri sibi exegerint, mox posteri comitis prædicti cũ suffragio fratrum, aduocati cleri, totiusq; familiæ, & omnium bonorum hominum ritè à fratribus hunc accusatum, iusteq; ab eis conuictum à dignitate suâ abijciant, præficiantq; alium iuxta prædictam libertatem, & S. Benedicti regulam, quem fratres sibi elegerint, & absq; omni contradictione pro illo substituant. Concedit etiam comes prædictæ cellæ aduocatum aliquem de posteris suis fieri, si tamen loci ipsius abbas cum consilio fratrum talem inter eos inuenerit, qui sicut ipse

comes

comes nunc, non pro terreno commodo, sed pro æternâ mercede sollicitus & studiosus bonâ & constitutam monasterij libertatẽ & iustitiam defendere voluerit. Sin autem aptũ & vtilẽ aduocatum vndecunq; sibi placuerit, eligant. Hic deniq; abbate petente à rege accipiat bannum legitimũ, & ter in anno, si necesse fuerit, aut in ipsam cellam, aut vbicũq; vel quãdo abbati placuerit inuitatus ab illo veniat, & ibi placitum iussum pro causis & necessitatibus monasterij ritè peragat. Nullum autem seruitium aliud, ius aut beneficium sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertium bannũ, & cõsuetudinariam iustitiam & legẽ, quam cæteri aduocati in alijs liberis monasterijs habẽt super fures, proteruiam, & censuales, & cætera talia. Et in illis trium placitorum diebus in vnoquoq; vnum maltrũ de frumẽto, & vnum frisingũ, & vnum siclum de vino & cætera ad hæc pertinentia. Præterea item constituit, quod nisi abbate volente & aduocante bona & loca monasterij suis frequẽtijs temerarijs & sine causa minimè adeat vel contingat. Nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet vel pernoctãdi licentiã habeat. Nec subaduocatum pro se faciat, nec omnino aliquã absq; ratione calumniã, persuasionẽ, aut iniuriã monasterio, abbati vel familiæ faciat. Si autem non vt aduocatus, sed potius vt calumniator & peruasor monasterij fuerit, omninò potestatem habeat abbas cum consilio fratrum hunc reprobare, & alium sibi vtiliorem vndecunq; eligere. Constituit etiam & hoc comes præfatus, & nos ipsius petitione firmiter statuimus, quod si quispiam posterorum suorum, vel quarumcunq; homo personarum, vnam vineam, vnum mãsum vnum molendinum, vel saltem vnum mancipium, siue aliquid tale à supradictâ cellâ temerarius iniustè abstulerit, vt nostri nostrorumq; successorum regiâ potestate coactus tria auri talenta ad ærarium regis persoluat, primitus reddito ecclesiæ quod inuaserat. Si verò quisiubet illorum (quod absit) cortem vel aliquam villam inde violenter abalienauerit, siue manifestus inuasor bonorum ipsius cellæ extiterit, vel si hoc testamentũ traditionis & libertatis quocũq; ingenio seu argumento legũ secularium peruertere vel infringere tẽtauerit, centũ auri libras ad regiam itẽ persoluat camerã & reddat primitus ecclesiæ,

& secundum leges item componat, quod ablatum fuerat, & sic intētio illius omninò irrita fiat. Ministris quoq; & familiæ sanctuarij eandem concedit legem & seruitutē, quam cæteris in regno nostro liberæ abbatiæ habent, vt tantò fideliores prælatis suis per omnia seruiant. Super hæc omnia comes sæp dictus Apostolicum priuilegium acquisiuit & constituit, vt vnus au eus, quam Byzantium dicimus, singulis annis Romā ad altare S. Petri ab abbate prædicti monasterij in Pascha persoluatur eo pacto, vt libertatis istius & traditionis statuta tantò perennius incōuulsa amodo permaneant, & vt prædictum cœnobiū sub Romanæ ecclesiæ Mūdiburdio & maiestate securū semper stabiliatur & defendatur. Si fortè quispiā regum, vel posterorū eius, seu quarumcunq; homo personarum (quod absit) testamentū hoc vllo ingenio infirmare vel infringere præsumpserit, si autē id (quod absit) à quolibet eorum instigante diabolo fiet, obsecrat comes idem & omninò testificatur Apostolicum pontificem per Christum & per S. Petrun Apostolum, & S. Aurelium episcopum, & per omnes sanctos Dei, & per tremendi iudicij diem vt illum Dei & sanctorum eius contemptorem, & testamentariæ huius conscriptionis destructorem nisi resipuerit, tradat omninò Sathanæ, & anathematizet eum, ac prophanet à consortibus & filiis Ecclesiæ sāctæ Dei, & hæredibus vitæ æternæ, vt auferat Deus memoriā illius de terrâ viuentium, & deleat nomen eius de libro vitæ: & vt cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus absorbuit perennem incurrat damnationem. Et vt Herodis, Pilati & Iudæ socius factus in æternū d scrutietur, et cum Sodomitis & Gomorritis ignis & sulphuris imbres hîc experiatur, & Heliodori plagas & verbera hic perpetiatur, & Antiochi tormentis, vermibus scilicet scaturiens, & cum fœtore cōputrescens miserrimè conteratur, & nisi resipiscat, Petrū regni cælorum archiclauigerum cum S. Aurelio & totâ cœlesti militiâ portæ Paradisi obstitorē habeat in æternum. Prædia autem seu villæ ad prædictum monasterium antiquitus pertinentia, & ab eodem comite nunc reddita, hæc sunt. Imprimis ipse locus Hirsaugia cum tribus villulis Lutzenhart, Altburen, Nagalthart, Husteten, Deckenphrū, & quæ sita

sunt

sunt ad Gilstein, Stamheim, cũ villulis item tribus Summenhart, Lutzenhart, ad S. Candidũ, ad Mettlingen, ad Meuchingẽ, ad Gretzingẽ, ad Muchlingẽ, ad Mercklingen, Tres hubæ, Gumpertzvviler dimidium. Hæc autem comes prædictus de suis superadditis prædictis Ottenbrũ, & quæ possidebat ad VVile, cum villulis binis Gretzenbach & Blanda, & ad Biberbach, ad Bottennach, ad Thanbach, ad VValaheim, ad duas hubas, & sex iugera vinearum, ad Gumpretzvuiler dimidium, & ecclesiã ad Toffingen & ad Malscha. Hæc scilicet prædia cum mancipijs ad prædicta loca pertinẽtibus reddidit & contradidit ad prædictũ cœnobium, cũ ecclesiis, fabricis, vinetis, agris, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarumq; decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus, & redditibus, cultis & incultis, cum marchis & terminis legitimis. Statuta quoq; & iura censoria cum omnimodâ integritate legittimorum suorum & vtilitate & seruitiis; quæ vllo modo inde prouenire vel excogitari poterunt. Vt autem prædictæ traditionis & libertatis status, & omnia prædicta statuta eâ ratione, quâ DEO & Sanctis eius destinata sunt, ab hac die omni æuo in Christo rata & inconuulsa permaneant, hanc chartam testamentariam prædicti comitis rogatu, conscribi manuq; propriâ corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus communiri. Data est 7. iduum Octobris, anno Dominicæ incarnationis 1075. indictione 13.

15. PRIVILEGIVM APOSTOLICA AVCTORITATE.] *Hoc talis formæ extat apud Trithemium, in Chron. Hirs.*

PRIVILEGIVM GREGORII PAPÆ VII.

GREGORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio VVilhelmo abbati monasterij S. Aurelij, quod dicitur Hirsaugia, in Episcopatu Spirensi situm, eiusq; successoribus in perpetuum. Cum omnium ecclesiæ filiorum saluti & securitati sancta sedes Apostolica ex generali pastoralis regiminis prouidentiâ cauere & consulere debeat, tum verò alacrius & intensius piæ intentionis & religiosæ deuotionis vota suscipere, ac salutifero affectu mancipare necesse est,*

vt gratanter bonorum studiorũ petitionibus occurrat, & quæ ad laudẽ & gloriam diuini nominis sunt instituta, authoritatis suæ soliditate firmiter tenenda stabiliat. Vnde & nos dilecti filij nostri Adelberti de Caluvve laudabili desiderio congaudentes precibus eius sanctæ sedi Apostolicæ humiliter directis acquiescere decreuimus, & religiosè postulata efficaciter concessimus, qui æternæ retributionis amore succensus in prædio suo quod dicitur Hirsaugia, monasterium à progenitoribus suis antiquitus constructum, nuper amissa restituens uenustè reparauit, & in vsus fratrum inibi DEO seruientium pluribus possessionibus & redditibus adiectis & contraditis largius ampliauit. Quam suæ libertatis institutionem ne in posterum vlla peruersorum hominum audacia imminuere aut violare præsumat, Apostolicæ authoritatis priuilegio muniri, & S. Romanæ ecclesiæ tuitione roborari, datâ annuâ aurei Byzantij pensione postulauit, illud profectò considerans, quia dum à S. matris ecclesiæ fidelibus, beatis Apostolis Petro & Paulo, honor & metus & obedientia exhibetur, quod eorum decreto & nomine solidatum & roboratum fuerit, nullius euersoris illicitâ præsumptione quatiatur.

Quamobrem idem præfatum monasterium cum omnibus sibi hoc tempore iustè pertinentibus & legaliter collatis, & deinceps quarumcunq; personarum authenticâ traditione conferendis sub S. Apostolicæ sedis tutelâ & protectione generali amplectimur, & sub alis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tibi fili VVilhelmo tuisq; successoribus eliminata ac prohibita omnium infestantium inquietudine, liberè & absolutè possidenda, & regulariter atq; vtiliter ordinata præsentis scripturæ testimonio confirmamus.

Constitutionis quoque immunitatis & libertatis modos, quos præfatus comes illustris Adelbertus scripto suæ traditionis inseruit, & sigillo regio imprimi curauit, ad posteritatis cautelam & arcendos infestantium impetus diligenter obseruandos, statuimus hoc duntaxat, qui canonicis sanctionibus non obsistunt, vt nec permissis quidlibet negligatur, nec de vetitis quodlibet irrogetur. Hæc igitur quæ

huius

huius præcepti decretiq; nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoq; successerint, in perpetuum seruanda decernimus. Si quis verò Regum, sacerdotum, clericorum, iudicum & secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentauerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reumq; se diuino iudicio de perpetratâ iniquitate agnoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt malè ablata restituat, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleuerit à sacratissimo corpore & sanguine Domini redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ retributionis inueniant.

Hoc libertatis institutæ priuilegium Gregorius papa 7. abbati VVilhelmo tradidit, cuius copiam manu ipsius rescriptam in testimonium omnium præscriptorũ, atq; in perpetuam libertatis memoriam in scrinio S. Petri recondidit.

16. ECCLESIA SCHISMATE SCINDEBATVR.] His enim tẽporibus quibus Henricus quartus regnabat, episcopatus, abbatiæ, præposituræ, & cæteræ dignitates ecclesiasticæ, nõ per electionẽ dignis conferebantur, & hæresis simoniaca totum penè regnum Teuthonicum suâ prauitate maculauit. Ex qua multa in Germaniâ orta sunt mala, quia rex propter hæc & alia multa per Christi vicarium excommunicatus, rebellis & contumax summo pontifici fuit, omnesq; illi obedientes vsq; ad mortem persecutus est.

17. ABIECTA SÆCVLARI SARCINA.] Floruit hoc tempore ordo monasticus in hoc cœnobio, non solũ numero monachorũ, sed etiã personarum conditione, & meritorum qualitate vehementer insignis. Atq; vt paucos è pluribus numeremus. Gebhardus filius ducis Alemaniæ, & frater ducis Bertholdi, vir nõ solum nobilitate sanguinis clarus, sed etiam sapientiâ, facundiâ & eruditione scripturarum insignis, contempto sæculo, pro Dei amore, sub S. P. VVilhelmo in hoc cœnobio monachus

nachus factus est. Hic postea Constantiensis episcopus ordinatus multa huic monasterio Hirsaugiensi vna cũ fratre duce Bertholdo bona fecit. Eiusdem nominis alter Gebhardus vir nobilis & doctus, sub eodẽ patre VVilhelmo monachus factus, ipsi in abbatia successit, & demum episcopus Spirensis ecclesiæ constitutus est. Dietgerus etiam sub eodem abbate factus est monachus, vir moribus & eruditione præclarus, propter vitæ meritum & scientiæ doctrinam, in ecclesiâ Metensi episcopus ordinatus est. Multi vero de monasterio isto monachi, tam sub S. P. VVilhelmo, quam sub diuersis eius successoribus, diuersis temporibus ad alia cœnobia dati fuerunt abbates. Equibus nonnulli, temporum successu, in diuersis locis episcopi facti sunt.

18. ARGENTINENSIS ECCLESIÆ CANONICVS.] Est is hic ipse primum memoratus Gebhardus, qui cum nobilitate generis, & affluentiâ diuitiarum inaniter supra se eleuaretur in altum, pauperibus Christi, & monachis maximè, non solum nihil boni exhibuit. sed etiam spernens & contemnens, multas iniurias eis inferre cõsueuit. Vinũ namq;, quod ex donatione fidelium fratribus Hirsaugiẽsis cœnobij in Alsatiâ creuit, per violentiam rapuit, & inuitis omnibus, in proprios vsus conuertit. Quod eò facilius facere potuit, quo sanctũ virũ VVilhelmum cum Romanâ ecclesia sentientem, nullum ab Henrico rege defensionis auxilium speraturum sciuit. Admonitus tamen per viros bonos super hoc temerario facto, cum abbate VVilhelmo compositurus venit Hirsaugiam tumidus, superbus, & elatus, nihil minus habitu & gestibus quam religionis amorem demonstrans: sed Deus omnipotens, in cuius potestate sunt omnium corda hominum, qui Saulem psecutorem fidei Christianæ Paulum defensorem effecit, etiã huius viri mentẽ in aliud propositũ subitò commutauit. Sagaci namq; consideratione, fratrum mores & conuersationes explorare cœpit, disputantemq; de contemptu mundi sanctum patrem audiuit, & captus in eius sermone, sancto intus agente spiritu, propositum subitò mutauit: & valedicens pompis & curis sæculi, factus est in hoc cœnobio sub monastico habitu famulus Dei.

19. SALVTI

19. SALVTI PRISTINÆ RESTITVIT.] *Veruntamen ex eâdem infirmitate quoad vixit, semper vno pede claudicauit, quatenus memor eorum quæ sustinuerat amplius non peccaret.*

20. HASVNGA] *Hoc Monasterium in Thuringiâ fundauit Sifridus archiepiscopus Moguntinus, qui circiter annum Domini* MLXXI. *causa orationis in Galitiam ad S. Iacobum perrexit, & in reditu ad Cluniacum diuertens, ibidem manere contempto seculo statuit, & in dominicâ quæ festum S. Michaelis Archangeli præcessit, denuò professus est obedientiam regularem publicè coram omnibus in manu abbatis. (Fuerat autem prius monachus & abbas Fuldensis.) Sed dum mercenarij Moguntinum episcopatum pretio comparare à rege conarentur, per obedientiam abbatis, quam illi sub regula S. Benedicti promiserat, compulsus, ad sedem suam reuertitur, & 8 Id. Decembr. Moguntiam regressus est, sedemq; suam adhuc 12. annis gubernauit. Abbas autem prædicti Haßungensis cœnobij primus fuit Giselbertus monachus monasterij Hirsaugiensis, quem abbas VVilhelmus ad instantiam Sifridi archiepiscopi Moguntini cum toto conuentu necessario, ad eundem locum destinauit. Iste Giselbertus venerabilis abbas fuit, vir litteris bonis eruditus & morum integritate conspicuus, maximus regularis disciplinæ amator, qui multos in breui tempore monachos ad cœnobiũ præfatum seruituros Domino collegit.*

21, EPISCOPVS MOGVNTINVS.] *Intelligendus videtur VVetzilo, successor Sifridi, qui præsedit Synodo episcoporum & abbatum Moguntiæ in monasterio S. Martyris Albani iussu Henrici regis contra S. papam Gregorium VII. anno Dni.* MLXXXV. *celebratæ cui ipse cum legatis antipapæ Clementis personaliter interfuit, & omnes contra Gregorium in obedientiam ipsius Clementis iurare potentialiter compulit.*

Ad hanc Synodum, sicut & ad priores eiusdem farinæ, VVilhelmus abbas sanctissimus per epistolas regias vocatus venire contempsit, subtilisse adinuentione tutatus malens pro defensione vicarij Christi rerũ corporisq; periculis audacter subijci, quam prauorum consensu macu-

lari, quippe qui vicarium Christi sanctum & innocentem nouisset, & cum S. Romanâ Ecclesiâ optimè sentiret.

Accesserunt literæ & consilia S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, quibus S. abbas VVilhelmus in Domino confortatus, nec minus zelo animarum prouocatus toto illo tempore quo miserabile schisma contra Dei ecclesiam durauit impio rege Henrico in vicarium Christi sæuiente, quoscunq; potuit, salubri consilio ad vnitatem Ecclesiæ seruandam tuendamq; totis viribus animabat.

Assumptus est hic noster VVilhelmus in familiarem notitiam prædicti S. Anselmi, dum Romæ, vt supra dictum est, commoraretur. Rediens quoq; ab vrbe Romanâ idem sanctissimus præsul Hirsangiense cœnobium præterire noluit, in quo virum sibi omnino charissimũ abbatem residere cum fratribus in magno religionis feruore cognouit. Ad Hirsaugiam itaq; veniens cum maximo honore & reuerentiâ à S. abbate VVilhelmo susceptus est, & per dies aliquot in eodẽ loco in sũmâ charitate quieuit. Sanctificauit hũc locũ suâ præsentiâ primas Angliæ, sanctificatus à Deo, vir omni laude dignissimus, tãtaq; humilitate & charitate se fratribus exhibuit communicabilẽ, vt non archiepiscopũ, sed monachum quemlibet extremũ credi disses, in medio fratrum quasi vnus ex eis residebat, colloquens de scripturis sanctis, de institutione morum regularium, de amore Dei animarumq; salute, & ad omnia interrogata cum maximâ beneuolentiâ, maximè ad scripturarũ propositas quæstiones reddens omnibus & singulis conuenientes responsum. Maximo desiderio fratrũ se orationibus cõmendauit, vidensq; tranquillitatẽ pacem & concordiã eorum, suas deplanxit curas & ærũnas, quas patiebatur, Miserum se clamitans, quod puritatẽ internæ conuersationis, & contemplationis dulcedinẽ, propter sæculi curas, aut maculare aliquãtulum, aut plurimum intermittere cogeretur. Eos autem beatos, terq; felices, quibus in silentio monasticæ solitudinis vsq; ad finẽ vitæ salutare Dei exspectare conceditur. Postea verò quam apud eos aliquantis diebus quieuisset, data benedictione in sua remeauit: eos quos hic visitauerat fratres, in multa Spiritus sancti consolatione relinquens ædificatos.

fratres. Multas iam deinceps inter se miserunt epistolas, Anselmus ex Anglia in Hirsaugiam, & ex Hirsaugia VVilhelmus ad Angliam.

Ex omnibus autem Anselmi epistolis, quas scripsit ad abbatẽ VVilhelmum, vel vnã huic historiæ nostræ ad posteritatis notitiã & dictorum confirmationem, placuit nobis inserere, vt quanti fecerit merita fratrum huius cotuẽtu Hirsaugiensis vir tantæ sanctitatis & præminẽtiæ, nullus ignoret posterorum. Nam post aliquot annos cum comes de Caluue, propterea quod adhæsisset regi Henrico, cum cæteris multis à summo pontifice excommunicatus se diuinis ingereret, fratresq; huius cœnobij, pro hoc quod cum summo sentiebant pontifice nõ modicũ perturbaret, abbas VVilhelmus casum B. Anselmo cũ quibusdã alijs quæstionibus per epistolam innotuit, & eius super his consilium requisiuit. Cui sanctus Anselmus in hunc modum ex Anglia rescripsit:

DOMINO ET PATRI REVERENDO ABBATI HIRSAVGIENSIVM FRATRVM VVILHELMO, Anselmus Cantuariensis ecclesiæ minister indignus, in hac vitâ diuturnam prosperitatem, & in futurâ æternam felicitatem.

EX eo quo mihi probitas vestra sui dignata est præbere notitiam, tantam eis concepi dilectionẽ, vt vestri semper dulcis mihi sit memoria: quod sum expertus nõ immerito fieri, quoniam & vitam vestram amore & reuerentia dignam agnoui existere, & vestram paternitatem non sine affectu dulcedinis erga meam paruitatem esse. Sæpè namq; fratres venientes à vobis, me non solum sanctitatis vestræ relatione ædificauerunt, sed & dignationis vestræ salutatione honorauerunt. Qua in re licet quidquid est in me toto, minimè possit tantis meritis respondere, meum tamen est, quantũ amoris & reuerentiæ possum exhibere. Sed hæc Deo in nobis seruanda & augenda immittens, ad eas, de quibus meam paruitatem consulere dignata est

prudentia vestra, nō præsumendo, sed obediendo potius respōdebo, fortè quod non materiæ sufficiat, sed quod mihi videtur. Comes quidem vester, qui excommunicatus vobis diuina celebrantibus se immiscet, mihi videtur humiliter admonendus, ne contenendo sententiæ eorum, à quibus & in quibus Deus se confirmat, audiri cū audiuntur, & sperni cum spernuntur, seq; ligare cum ligant, & soluere cum soluunt, aggrauet super se Dei Iudicium, à quo fugere nusquam homo potest. Quare illi melius esse, vt per salutarem humilitatē abstineat ab his, à quibus eum sententia Apostolica segregat, quā per præsumptionis contemptū se ingerat in illā, quæ nusquam, nisi per humilitatem quæsita prosunt, at semper inordinatè præsumpta obsunt, nec debere cum nullo suo commodo & grauissimo vestro malo cogere vos, vt cum eum offendere nolitis, Deum & Apostolici authoritatem grauiter irritetis, ad quos pacandos illum adiutorem habere non possitis, facilius quoq; ac benignius Apostolicum eius rationes suscepturum, si suam illi sententiam cognouerit reueritum. Quod si comes idem hanc admonitionem respuerit, scitis quia Deus plus timendus est quam homo. Quapropter aut secundum iam prolatam Apostolicam sententiam erga illum agendum, aut ipsum Apostolicum seu aliquem vices eius gerentem de hoc ipso consulendum æstimo.

De presbyteris verò qui se apertè reprobos libidinis commercio Deo reprobabiles exhibent, omninò tenendum est, quod Apostolica prouidentia ecclesiastico, iustoq; rigore constituit.

Nempe nullatenus conuenit, vt ibi reuerenter astetur, vbi pertinaciter apertâ & impudenti libidine, fætentes, Dei & sanctorum prohibitionem contemnendo sacris altaribus obseruiunt, imò non deseruiūt, sed quantum ad ipsos pertinet, turpiter commaculāt: non quo quis ea quæ tractant contēnenda, sed ipsos potius tractantes execrandos existimet, vt qui Dei & angelorū præsentiam non reuerentur, vel hominū detestatione repulsi sacra contaminare desistant. Nec vllatenus oportet, vt illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exortes altari deseruientium. De lapsis autem sacros ordines haben-

habentibus, vt spontaneâ humilitate secretè quibus debēt confidentibus nequaquam asserendū est, quod in eisdē ordinibus amplius vti nullatenus possint, si per sacrificium spiritus contribulati cordisq; cōtriti & humiliati Deum placantes, ad virtutem proficere studiosè contenderint. Nam nec apud Deum reprobatur officiū alicuius, propter culpam, quā ipse ignoscit: nec apud homines decoloratur sacri ordinis dignitas, propter personam cuius ipse peccatum non cognoscit: quibus duabus causis, carnalis lapsus prohibet ad sacros ordines accessum aut reditum.

Sed quoniam fermè semper occultū est, quorū remissæ sint iniquitates & quorum tecta peccata, quorū verò minimè, tutius semper est, cōscium sibi criminis atq; placitam personā exposcūt per laudabilem humilitatem abstinere, quā per culpabilem securitatem præsumere. Illud enim semper potest, Deo non improbante: hoc vero non debet, nisi Deo approbante. Qui autem huic sententiæ, quæ ad sacri ordinis officium, reditū post lapsum concedit, nequaquā aliquâ ratione, nisi authoritate fulciatur scripturarū, vult attribuere consensum, legat epistolā B. Calixti papæ directam vniuersis episcopis per Galliā constitutis, & B. Gregorij ad Secundinū inclusum, vbi ipsi hanc sententiā sic firmis & penè eijsdem rationibus & authoritatibus confirmāt, vt nullatenus aliorū probatione indigeat. Sed quoniā idē B. Gregorius idipsum in alijs suis quibusdā epistolis studiosè prohibet, ne sibi ipsi contrarius sit: de apertis quidē prohibuisse, de occultis verò post condignā pœnitentiā concessisse intelligitur. Nā crimen quod nec à Deo imputatur, nec ab hominibus esse putatur, nō reprobat, nec decolorat, vt iā dixi: cum tamen in tali re cuiq; tutius sit coram Deo plus timere quam confidere. Prohibere autem inuitum debere, qui occultum crimen humili confessione spontè & occultè detegit, minimè existimo: ne multis obruatur virtus salubris confessionis, qui potius eligerent penitus vsq; in mortem occultari, quam hac occasione in certitudinem vel in suspicionem alicuius criminis adduci. Vt enim confiteantur illi, peccatum suum statuitur, sed confitentem absque eius consensu à sui ordinis officio cessare nemo cogit, sed potius magni criminis reus esse videtur, qui cogit: quia sic & con-

fitentem pœnitere confessionis & plures nondũ confessos, horrere & refugere confessionem compellit.

Nam satis patet quam minus malum sit, cuilibet peccatori ad altare cum amore confessionis peractæ, & spe misericordiæ humili mente accedere, quam se cum odio confessionis, & desperatione veniæ inducto corde, desiderio vel etiam actu sumptuosè ingerere. Ille itaq; cui confessio fit, nequaquam particeps æstimandus est minoris culpæ, in qua alium permittit non consentiendo, sed maiorem prudẽter præcauendo. Particeps verò maioris criminis autorq; esse videtur, ad quod multos impellit. & si non volendo, tamen inordinatè plus quod minus quam quod maius erat timendo. Sed manifestum est, quia illi qui humili contritione superbam verecundiam conculcando, semetipsos q; iudicantes indecenter cessationẽ sponte cõsentiunt, multo tutius ministrant permissi seu etiam iussi, quam illi qui cum verecundia humana inter Deum & se iuste iudicare refugiunt, licet is cui confitentur valdè periculosius prohibeat istos inuitos, vt supra dictum est, quam illos spontaneos. Et cum vtrisq; necessarium sit vel ad tempus abstinere, puto quia illi qui non libenter cessant ad quod non per benè properant, sunt tantum relaxandi, hi verò qui sponte abstinent, ad id quod non præsummunt etiam reuocandi. Nam in istis, si reuocentur, obediente tegmine præsumptio palliatur, in illo verò humilitas obedientiæ robore adiuuatur. Quæ reuocatio non indifferenter, sed magna prælati confessionem suscipientis discretione facienda est. Sæpè namq; contigit, vt aliquis non per immissum criminis perpetrati honorem, neq; per vim humilitatis humanam verecundiam superet, sed per stultitiæ tenebras & impudentiæ duritiam fœditatem sceleris & pudorem non sentiat, & per negligentiam officium suum non appetat. Qui autem huiusmodi est, nunquam ad sacrum officium aut vocandus aut reuocandus est, sed cum pro ipso pœnitens supplicat humilitas, suggerit contritio, intercedit vitæ mutatio, tunc nimirum si prælatus nõ tam de meritis aliquibus quam de magna misericordia & multitudine miserationum Dei illum confortans ad sui vsum officij remittat aut inuitet, eo quod temerè quam prudenter egisse videtur.

Est

Est enim sæpè in huiusmodi præuenienda pusillanimitas, excludenda contemptus suspitio, ostendenda beneuolentia, exhibenda compassio. Hoc enim modo qui tales sunt, quantò benignius tantò efficatius ad perfectionem promouentur, & tantò strictius bono proposito ligantur. Potui plura de scriptis primum his interserere, sed quia epistolaris, breuitas, quæ nimis se extendi reclamat, non consentit, simpliciter quid de interrogatis sentirem paternitati vestræ iussus exposui. Omnipotens Deus nos & in his & in omnibus, quæ nobis agenda sunt, sic in rectitudine veritatis dirigat, vt pro eis seipsum mercedem retribuat. Si præsens essem coram vobis, & sancta congregatione vestra, de qua multa bona vidi, & à multis concorditer maiora quotidiè audio, supplici mente totum corpus prosternere, & vt me bonorum quæ Deus operatur in vestro sancto monasterio in perpetuum participem, in fraterna charitate denuò per amplius concederetis postularem. Sed quoniam ego nimium distans hoc non possum, præsumo de meis meritis, sed de vestra sanctitate rogare, vt vos hoc ipsum pro me non humiliato corpore, sed benigna mente ab ijsdem filijs vestris mihi petatis, & cum illo concedatis. Hucusq; epistola S. Anselmi.

22. AD IPSVM SE CONTVLERVNT.] *Non solum fratres de monasterio Hassunga, sed alij quoq; viri celeberrimi, inter quos merito suo numerandus* Diemo nostri ordinis abbas in ciuitate Salzburgensi, qui propter excommunicationem Regis Henrici quarti de monasterio suo fuit expulsus, quoniam cum S. Romana Ecclesia sentiens, excommunicatis communicare noluit. Venit ergo fama S. Vilhelmi abbatis prouocatus ad monasterium sæpedictũ in Hirsaugiam, & inter fratres conuersatus humiliter, cum vitæ eorũ laudabilem institutionẽ vidisset, decreuit perpetuò cum eis in Domino permanere. Itaq; monachus denuo factus sub Vilhelmo religiosè conuersabatur, gratias agens Deo, quod tam sanctæ congregationi meruit inscribi. Deinde post annos aliquot in archiepiscopũ Salzburgensis ecclesiæ sublimat⁹ est, & de monasterio Hirsaugiensi per obedientiã cõpulsus recessit inuitus. Præfuit autẽ ecclesiæ*

*al. Thiemo seu Theodomarus.

ecclesiæ probatæ strenuè verbo & exemplo, multis præbens incitamẽta virtutum. Tandem amore diuino succẽsus cum alijs multis ad terram sanctã ire, dominicumq; inuisere statuit sepulchrũ, & in itinere captus à paganis cũ cæteris suis peregrinationis pleriſq; socijs martyrio coronatus est, cuius gesta habentur nuper edita Tomo 4. Antiq. lect. D. Henrici Canisij. Eiusdẽ præclaram mentionẽ facit Paulus Bernriedensis in suo commentario de vita Gregorij VII. quem diu desideratum & in tenebris delitescentem nuper euulgauit, ac nobis illustrauit R. P. Iacobus Gretserus Soc. IESV S. Theologiæ Doctor & Professor Ingolstadiensis.

23. RELIGIO QVOQVE MONASTICA.] *Appellatur hæc Reformatio Hirsaugiensis siue noua Cluniacensis, eo quod constitutiones suas ex illo monasterio assumpserit, id ferè hac conditione accidit. Missus erat à Gregorio Papa VII. pro causis ecclesiasticis legatus in Germaniam & Gallias, vir venerabilis, eruditione scripturarũ ac morũ sanctitate integerrimus, Bernardus abbas Massiliensis ordinis nostri, qui veniens ad monasteriũ Hirsaugiense, quasi ad anni spaciũ propter difficultatem itineris conficiendi, quod volebat, ibi cũ fratribus remansit. Huius viri consilio S. abbas VVilhelmus pro pleniori monachorũ institutione perdiscẽdâ, duos ex monachis suis Cluniacũ direxit, ac postea iterũ duos, ac tertio nihilo minus duos, qui diligenti examinatione omnia illius congregationis secreta rimati sunt, & in scriptis cõstitutiones ad Hirsaugiã retulerunt. Vnde VVilhelmus reuerendissimus abbas permissione Hugonis Cluniacensis abbatis sanctissimi, statuta & consuetudines sibi transmissas mutatis iuxta consideratione loci, regionis & aëris quibusdam rationaliter mutandis in duobus libris ordine pulchro digessit, fratribusq; suis & posteris pro conseruatione conuersationis monasticæ obseruandis tradidit.*

Habetur, in Bibliothecâ nostrâ antiquissimus MS Codex in mẽbranis, de cærimonijs Monasterij Cluniacẽsis, duobus libris vt hic innui videtur distinctꝰ: aliâ quidẽ manu, tõgẽq; diuersâ reliquâ scripturâ, Odiloni Abbati Cluniacensi adscriptus: atqui si aliquid cõijcere auderẽ, hũc ipsum

ipſum eſſe fœtum noſtri huius VVilhelmi dicerem, nuſquã enim inter opera S. Odilonis, ſiue etiam ipſius Odonis huius reformationis primi auctoris, inſcriptio huius libri annotatur, à Thritemio verò, Arnoldo VVionio ſic diſtinctus, ſemper huic noſtro VVilhelmo adſcribitur: accedit ad argumenti huius confirmationem, quod Monaſterium noſtrum S. Vdalrici nunquã confœderatum fuiſſe legitur cũ Monaſterio Cluniacenſi, cum Hirſaugienſi verò ipſo adhuc S. VVilhelmo in viuis agente, vt prodidit Trithemius.

24. CELLA S. GREGORII.] *Hanc abbas VVilhelmus anno dominicæ natiuitatis 1083. in Richenbach fundauit, cuius fundationis ſeriem ipſius verbis duximus his potius quam alienis inſerere.* In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego VVilhelmus nullis meis meritis, ſed ſolâ Dei miſericordiâ cœnobij Hirſaugienſis abbas, notum eſſe deſidero omnibus tam futuris quam præſentibus, quod quidam ingenuus ſenior nomine Bern, prædiolum ſuum in nigra ſylua ſitum, in loco qui à riuo, qui ibi Murgam influit, Richenbach vocatur, ſancto Aurelio Hirſaugiæ in præſentiâ idoneorum teſtium in æternam hæreditatem tradidit: id vnicè poſtulans, vt idem monaſterium conſtrui ſatagerem. Accepto igitur communi concordiâ; ſeniorum noſtrorum conſilio, miſimus fratres monachos noſtros tres, & laicales quinq; in idem prædiolum, nemore denſiſſimo hiſpidum, quatenus ſyluâ erutâ, locoq; purgato conſtruerent monaſterium beato Gregorio. Anno itaq; incarnationis Dominicæ 1082. indictione 5. circiter Idus Maij, cum veniſſent ijdem fratres in prędictũ locum haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nudâ abiete. Horum autẽ vnus vocabatur Erneſtus vir probus & curialis, qui iam pridẽ ſe ſuaq; omnia noſtræ dediderat obedientiæ, quem cum ſuis omnibus eidem loco in adiutorium conceſſimus. Extitit ergò idem Erneſtus loco & fratribus prouiſor, & quaſi pater ſecundus, qui adextirpandã ſyluam ad purgandum locũ, ad ædificandũ monaſterium, ad conſtruendas officinas, maximè ſuas ipſe inpenſas dedit, & vndequaque competenter acquiſiuit. Eius ergo parentumque ipſius, ſicut

& meam meorumq; memoriam ibidem celebrem haberi dignum iudicaui, libensque firmaui.

25. GEORGII MARTYRIS.] *Situm est hoc monasterium in Nigra sylua Constantiensis diœcesis, in quo VVilhelmus abbas posuit monachos de suo conuentu Hirsaugiensi viros probatos & in omni religione clarissimos. Quibus in abbatem præfecit Henricum discipulum suum & monachũ huius cœnobij, virum spectatæ religionis, qui verbo & exemplo subditos suos ad contemptum præsentium & amorem futurorũ animauit.*

25. IN HONORE S. MARTINI.] *Vbi etiam de suo conuentu monachos & abbatem posuit, qui proculdubio sub patre sanctissimo regularibus institutis disciplinis non poterant esse nisi religiosissimi, maximè cum ad nouas plantationes non infirmiores quosq; sed meliores quos haberet monachos mittere prudentissima consideratione pater DEO plenus consueuerit.*

27. IN THVRINGIA] *In ciuitate Erphordensi in honorem SS. Apostolorum Christi Petri & Pauli, in quo similiter fratres de conuentu suo Hirsaugiensi posuit, ipsumq; cœnobium & fratres Giselberto ex monacho Hirsaugiensi eo tempore abbati in Reinhartzbronna regendum & procurandum quousq; eis de abbate prouideret, commendauit.*

28. IN PROVINCIA CHARENTINORVM.] *Hoc Lauense dicitur, ad quod fratres de suo conuentu misit viros probatæ conuersationis, quibus VVetzilonem monachum venerabilem præfecit abbatem.*

29. SCHAFHAVSEN.] *Hoc monasterium in Sueuiâ situm circa annum Domini MLX. Comes Euerhardus & Ida comitissa construxerunt, quod magnis prædijs & bonis cumularunt. Verum posteris temporibus illud vetustate penè collapsum, sanctus pater VVilhelmus pulchro tabulatu instaurans, monachis donauit, quibus etiam Sigefridum sui cœnobij monachum præfecit.*

30. PETERSHVSEN.] *Huic monasterio abbatem dedit, venerabilem virum, moribus & scientia insignem Diethericum sui cœnobij monachum, qui regularis disciplinæ feruidus cultor & instaurator fuit, & multos verbo & exemplo ad mundi contemptum perduxit.*

31. CAM-

31. CAMBERGENSE.] *Est hoc monasterium in Herbipolensi diœcesi situm, sed nunc ab ordine translatum, huic abbatem dedit Guntherũ monachum, virum prudentia & religione venerabilem, qui antè conuersionẽ suam magnam in curialibus opinionem experientiæ consequutus fuerat.*

32. FACTVM GREGORII PAPÆ VII.] *Hoc exemplum apud Paulum Bernriedensem non legi, sæpius tamen etiam alias in dubijs & aduersis rebus confugisse ibidem legitur ad opem B. Virginis, & alias simul reuelationes per orationes aliorum virorum Sanctorum meruit habere.*

33. PRIMVS INSTITVIT.] *vel potius abolitum renouauit, vt loquitur Thritemius his verbis:* Ferunt denique hunc reuerendissimum patrem VVilhelmum Conuersorum huiuscemodi vsum in Germania Cænobijs primum vel instituisse, vel potius abolitum renouâsse, quem solum in primæuâ monachorum conuersatione olim nouimus celebrem. *Vide etiam quæ his adiunxit R. P. Iacobus Gretserus in suis notis ad commentarium Pauli Bernriedensis de vitâ Gregorij VII. Hos Conuersos Satyra quadam schismaticus poëtaster ad Henricum V. Germaniæ Regem petulanter incessit. Extat in Chronico Laurisheimensi Tom. 1. Illust. scriptorum Germaniæ. Inter cætera sic conuitiatur.*

Nunc quoq; barbati, qui sint, attentius audi.
*Sunt ergo laici Milienſibus * associati,* * *Hirsaugiensi.*
Quos risus populi dedit hoc agnomine fungi,
Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis
Deformes &c.
Austerâ facie sunt & tonsi caput altè,
Cautius anciſis certoq; tenore capillis &c.

Videtur idem VVilhelmus reformasse etiam tonsuram & habitum Monachorum. Hinc ATTONSI de quibus hic noster Paulus. *Ipse namq; est,* inquit Tritemius, *qui ordinem nostrum in omnibus penè Theutonici Regni Prouincijs miserè collapsum reformare studuit, & in multis etiam Cænobijs reformauit. Hinc Satyricus, de quo paulo antè.*

Hi per tonſuras grandes, grandesq́; cucullos &c.
Per caput abraſi terratenus & manicati, &c.

Habebant autem conſuetudinem, vt ijs qui ad religionem monaſticam admittendi erant, non ſolum caput, ſed etiam barba certis quibusdam ritibus abraderetur, & eam ob cauſam impubes non ſuſcipiebantur, & notatur in conſtitutionibus Cluniacenſium MS. capite 1. Secundum conſuetudinem autem nullus ad conuerſionem laicus in clauſtrum recipitur, quin tali ætate ſit prouectus, vt vel tantum barbæ habeat, quod tonſuræ huius ordo impleri valeat, quiq́; in poſterum cuſtodiæ ſubiugari non debeat, exceptoſi tam incautus eſſe cœperit. *Itaq́; ante vigeſimum ſecundum aut tertium annum non facilè quis recipiebatur, quod & ipſum tractum eſt ex antiquorum ſtatutis. Nam idipſum S. Sabam de Laurâ ſuâ decreuiſſe legimus, vti nullus in cœnobium ſuum niſi barbatus admitteretur, quia crederet impuberes anachoretis & monachis pericula creare. Quod & D. Baſilius affirmat. Aliam rationem etiam reddit R. P. Matthæus Raderus Soc.* IESV, *in 1. parte Viridarij Sanctorum, quod nimirum aliquando contingere ſoleret, vti fœminæ quædam piâ quidem intentione, vt eſſent extra ſexus ſuſpitionem, pro eunuchis ſe gererent, & ita Monachorum congregationibus aſſociarentur, exempla non pauca leges apud eundem.*

34. DE QVORVM CONVERSATIONE] *Operæ pretium videtur hic annotare ea, quæ Bertoldus in Chronico Anno MLXXXIII. ſcripſit, & itidem ſæpè memoratus R. P. Iacobus Gretſerus ad Bernriedenſem de VVilhelmo noſtro annotauit.* Eodem tempore in Regno Teutonicorum tria monaſteria cum ſuis cellulis, regularibus diſciplinis inſtituta, egregiè pollebant: quippe Cœnobium S. Blaſij in nigrâ ſylua, & S. Aurelij, quod Hirſaugia dicitur, & S. Saluatoris, quod Schafhuſen dicitur, id eſt, nauium domus. Ad quę monaſteria mirabilis multitudo nobilium & prudentium virorum hac tempeſtate in breui confugit, & depoſitis armis euangelicam perfectionem ſub regulari diſciplinâ exequi propoſuit; tanto inquam numero, vt ipſa monaſteriorum ędificia neceſſario ampliarint:

rint: eò quod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaq; monasterijs nec ipsa exteriora officia per sęculares, sed per religiosos fratres administrantur, & quantò, nòbiliores erant in sęculo, tantò se contemptibilioribus officijs occupari desiderant, vt qui quondam erant Comites, & Marchiones in sæculo, nunc in coquinâ & pistrino fratribus seruire, & porcos eorum in cãpo pascere, pro summis computent delitijs. Ibi nẽpè & porcarij, & bubulci prẽter habitũ, ijdẽ sunt qui monachi. Tantò autẽ charitatis ardore omnes feruent; vt quilibet eorum, non tam suum, quam alienum desideret profectum, & in exequendâ hospitalitate insudant tam mirabiliter, ac si se perdidisse æstiment, quidquid pauperibus CHRISTI, & hospitibus non erogauerint.

35. NOVVM MONASTERIVM.] *Cæpit B. Pater hoc monasterium construere anno regiminis sui decimo tertio, qui fuit dominicæ natiuitatis MLXXXII. Cumq; necessaria ad hoc opus præparare cæpisset, lignorum enim ibi & lapidum magna copia erat, Domino Deo prouidente cæperunt diuites & nobiles multa pro Dei amore conferre, & sanctum opus propter laudabilem conuersationẽ monachorum & famam VVilhelmi abbatis sine intermissione promouere. Fuit eo tempore quidam Marchio potẽs & diues nomine Hermannus, qui diuino spiritu attractus, mundum pro Dei amore cum omnibus rebus & pompis contemnens, occultèq; fugiens, nemine præter vxorem sciente, ad monasterium Cluniacense incognitus diuertit, assumptoq; à S. Hugone sanctæ conuersationis habitu, pro summi pastoris amore pastor pecorum monasterij eiusdẽ factus est. Huius præstantissimi viri vxor post coniugis præfati discessum, Deum bonorum suorum volẽs instituere hæredem, sumptus & impensas sancto abbati VVilhelmo ad construendum nouum monasterium inchoatum præstitit. Quæ tandem nescio qua ex causa vsq; adeò fuit offensa, vt sanctum opus intermitteret, & retractis manibus relinqueret imperfectum. Ex his tamen quæ antea contulerat, tantum superfuit impensarum, vt reliquum penè totum quod restabat, perficeretur.*

Huius autem ædificij non alios artifices habuisse credendum est, quam

monachos suos, quippe cum fermè ducenti essent numero, erant inter eos latomi, fabri lignarij, ferrarijq;, & architecti in omni arte & scientia architecturæ procul dubio experientissimi, qui totum opus sine adiutorio sæcularium artificum egregio tabulatu consummarunt.

Dedicata est noua ecclesia anno Domini MXCI. circiter Cal. Maij, nam S. VVilhelmus nouem hebdomadibus superuixit.

36. IV. NON. IVLII BEATO FINE PERFVNCTVS.] *Anno Dominicæ natiuitatis MXCI. Indictione XIV. Sub Henrico Imperatore quarto & Vrbano papa II. Anno suscepti regiminis XXII. ætatis verò suæ anno LXV. Bertolphus Constantiensis in appendice ad Contractum, eum III. Non. Iulij obijsse tradit. Erat verò B. VVilhelmus vir per omnia dignus honore, cuius etiam dispositio corporis quendam reuerentiæ cultum ab intuentibus exigebat. Staturâ siquidem procerus, in anteriori corporis parte caluus, pilos in reliquo raros habebat, faciem cærulei mixti albedine coloris, pulchram aliquantulumq; productam, manuumq; digitos pulchrâ longitudine subtiles, ac totum corpus debita proportione ad virtutem fuerat ordinatum. Vox illi grandis atq; virilis erat, qualis cum naturali quodam ornatu verborum, optimum quemq; oratorem facere consueuit.*

37. ANTE OBITVM SVVM DIREXERAT.] *Miserat enim prius Romam ad summum pontificem Vrbanum II. qui aliquando in Cluniaco monachus fuerat, petens sibi aliquid de beatissimi principis Apostolorum reliquijs transmitti. Veniens ad papã prior Gebhardus benignè quidè ab eo susceptus est, petitas tamẽ reliquias obtinere nõ potuit. Audiuit autẽ ab ipso summo pontifice Gebhardus de capillis S. Petri veras in monasterio Cluniacensi reliquias haberi, deditq; consiliũ papa, vt VVilhelmus abbas tanquã amicꝰ S. Hugonis ex illis aliquid postularet, quod et postea factũ est. Verũ papa ne vacuũ remitteret missũ, quorundã aliorũ sanctorũ reliquias B. VVilhelmo abbati per manus eiusdem Gebhardi, pro charitatis munere destinauit.*

38. ODDO.] *Ex nobilibus Francorum, secundus Cluniacensis Abbas, & primus ordinis monastici Nigrorum reformator, obijt sanctitate clarus anno DCCCCXLIII. die XVIII Nouembris. Eius vitam inuenies apud Sur. tom. 6.*

39. AB-

39. ABBAS CLVNIACENSIS.] *S. Hugo nimirum sextus eiusdem monasterij abbas creatus anno MXLIX. Cal. Ian. qui præfuit annis LX. mensibus tribus & diebus XXIX. & obijt anno MCIX. tertio Cal. Maij. Hic leprosum & paraliticum sanauit, & puerum mortuum vitæ restituit. Discipulos habuit egregios, inter quos fuêre Gregorius VII. & Vrbanus II. Pontifices Romani, & multi præterea alij Episcopi & S. Ecclesiæ prælati. Ecclesiam Cluniacensem diuinâ admonitus reuelatione, toti etiam Orbi mirandam spatio viginti quinq; annorum opere mirifico compleuit, in modum videlicet Crucis ✠ Patriarchalis.*

40. DE S. GREGORIO.] *Huiusmodi exemplа non pauca inuenies apud Ioannem Diaconum in vitâ Gregorij lib. 4. pluribus capitibus. apud Surium tomo 2.*

41. SANCTOQVE GALLO.] *Et hæc leges apud VValafridum de vita S. Galli, libro 2. diuersis capitibus.*

42. EPISCOPVS ARGENTINENSIS.] *Hoc paulò latius à Trithemio his refertur:* Ad hoc facinus perpetrandum VVernerus episcopus constitutus per simoniam ad ecclesiam Argentinensẽ, homo peruersus, & S. Romanæ Ecclesiæ atrocissimus inimicus, tanquã obsequiũ præstiturus Imperatori, milites cohortatur suos, promittit prædã ingentẽ de spolijs monachorũ. Cumq; milites detestari nefas tam immane in famulos Dei cœpissent, insanus pontifex dixit: Ego vos, ô milites fortissimi, in hoc obsequiũ regis nostri iustissimi præcedã, & quicũq; vestrũ me secutus non fuerit, reꝰ læsæ maiestatis erit. His dictis loricã induit, quâ indutus, equũ plenꝰ minarum in monachos Hirsaugienses, ascendit, subitoq; clamãs & ululans, horribiliter cecidit, & morte subitanea præoccupatus cũctis videntibus expirauit. Cæteri vero tam miserabilem pontificis intuentes exitum, valdè timuerunt, nullusq; eorum deinceps ausus est contra monasterium Hirsaugiense sinistrũ aliquid pertentare.

43. S. VDALRICVM.] *Creatus est vir hic eximiæ sanctitatis episcopus Augustanꝰ anno DCCCCXXIII. Migrauit à sæculo anno DCCCCLXXIII. regiminis L. ætatis verò LXXXIII. IV. Non. Iulij.*

44. AL-

44. ALTERVM VERO CONRADVM] *Ordinatus est tricesimus Constantiensis episcopus à prædicto S. Vdalrico, mortuus verò anno Christi DCCCCLXXV. regiminis XLI. VI. Cal. Decembris.*

Idcircò verò in visione hac cum B. VVilhelmo apparuisse credi possunt, vel quod speciales Sueuiæ patroni, vel quod in vitâ singulariter benigni erga hospites & pauperes ac misericordiæ operibus clarissimi semper habiti fuerint.

45. PARVO POST TEMPORE] *Ordinatus est Gebhardus Spirensis episcopus anno Christi MCV. Guil. Eisengr. in Chron. Spi. l. 12. eundem VI. annis præfuisse scribit. Thritemius verò tantum anno vno & mensibus quatuor episcopatum tenuisse tradit. Hic quamdiu fuit abbas magni semper nominis & famæ apud omnes celeberrimæ fuit. Sed posteaquam relicto monasterio Hirsaugiensi, episcopatum assumpsit, mox celebritatem minis famæq; præstantiam cum abbatiâ pariter amisit. Omnes eum nobiles & ignobiles, amici & inimici, domestici & extranei, contemnere, despicere & irridere cœperunt, tanquam superbum, vanè gloriosum & auarum insipientemq;, quippè qui monasterium insigne locumq; fama celeberrima gloriosum, & filios obedientes ad omnia deuotos & sanctos pro episcopatu reliquisset. Plura de eodem dignâ memoriâ leges apud Tritemium in Chron. Hirs.*

46. VVORMATIENSIS EPISCOPVS] *Eppo nimirum, de quo hæc scribit Trithemius. Post mortem Dietmari VVormatiensis episcopi, quæ accidit anno Domini MLXXXV. Indict. VIII. Eppo in episcopum ordinatus his temporibus claruit, de quo multa miranda narrantur, & annis non paucis in episcopatu suo præfuit.*

47. ANNO MILLENO] *Hi posteriores versus alterius videntur Auctoris & ætatis, nam stylus in plurimis differt à priori. Possunt tamen aliqui paucis transpositis voculis ad legem metricam in facile reuocari, vt ita nimio scriptorum vitio corrupti esse videri possint.*

Imo in exemplari Monasterij B. V. ad Scotos Viennæ in membranis omnino non habentur, ita vt facilè persuaderi mihi patiar, adiectos esse ab aliquo pio quidem viro, sed non satis erudito. Sequebatur tamen

tamen vnicus qui Epitaphium clauderet: Defunctus tecum, viuitq; beatus in æuum. *Post prædictos versus Leoninos, quibus mirè delectata, & oblecta fuit antiquitas, sequebatur Hymnus instar:* Iam Lucis orto sidere, &c. *constans Iambico Dimetro, quamuis hîc non seruatum.*

HYMNVS.

Audi DEVS hymnizantium,
Preces tuorum supplicum,
Sancti Confessoris tui
Solennia colentium,
Insignis miris actibus,
Hic fulsit & virtutibus,
Lucerna lucens omnibus
Domo DEI manentibus.
Fundans in CHRISTO plurima
Monachoruum cœnobia,
Muros erexit cœlitus,
Viuis vtens lapidibus.
Hic fuit viuens hostia,
Per cuncta vitæ spatia,
Mactauit in se vitia,
Crucis ferendo stygmata.
Huius ô CHRISTE gloria,
Iam factus & victoria,
Ipsius per suffragia,
Da nobis vitæ gaudia.
Laudamus te Patrem DEVM,
Vnicum simul filium,
Spiritumq; paraclitum,
Nũc & per omne seculum.
AMEN.

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM SANCTI VVILHELMI CONFESSORIS atque monachi.

Auctoris quidē incerti, sed viri Galdè fide digni.

AD summam Dei gloriam & laudem de beati VVilhelmi vita laudabili & sancta conuersione atque conuersatione tractare, sancti spiritus gratiam qui etiam in rebus minimis implorandus est, inuocamus. Vt qui eum in contemptu seculi, & in sui ipsius abnegatione præuenit, & secutus est, ipse nos quoque in hac retractatione præuenire dignetur ac subsequi, & efficiat idoneos tantæ historiæ relatores. Nihil enim dignum DEO dicitur sine eo, neque etiam ipse sine se inuocatur, cuius nimirum dona sunt, si quis mereatur omnipotentis opera denunciare, & ipsum in sanctis suis magnificare DEVM. Et primum quidem huiusmodi DEI dilectum exemplar vobis, & speculum proponamus, & formam in eo apostolicam, & vitam in terris veneremur angelicam, atque in quantum possibile est, boni æmulatores idipsum imite-

imitemur. Cum enim magnum sit & valde bonum sanctorum merita prædicare, & extollere virtutes ipsas, atq; imitando ambire, acquirere reuera optimum est,& præcellens. Vtrumq; tamen & cœlitus datur &diuinitus inspiratur,eiusq; administratio est gratis, qui gratiarum distributor dat ex eis quibus vult,& diuidit singulis prout vult. Nunc igitur quæ ad communem ædificationem pertinent, quæq; deuotis auditorum animis prodesse ad imitationem possunt,de vita & meritis tanti ducis,tamq; glorioſi principis aggrediamur, cætera quæ mundi fuerunt gesta, videlicet fortia ad terrenam dignitatem atq; secularem pertinentia, quamuis inclita ac relatu digna in memoria æterna, nos tamen silentio præterire decreuimus,gestis tantum spiritalibus expertè recitandis calamum applicantes. Quæ enim *regimina, quæ prouinciæ, quæ gens, quæ vrbes VVilhelmi potentiam non loquuntur? Virtutes animi,corporis vires,glorioſa belli studia, & frequẽtiam triumphorum? Qui chori iuuenum,qui conuentus populorum, ac præcipuè militum ac nobilium virorum, quæ vigiliæ sanctorum dulce non resonant, & modulatis vocibus decantant, qualis & quantus fuerit, quam gloriosè sub Carolo glorioſo militauit, quàm fortiter, quamque victoriosè barbaros domuit & expugnauit, quanta

*al.regna

quanta ab eis pertulit, & quanta intulit, ac demum de cunctis regni Francorum finibus crebrò victos & refugos perturbauit & expulit. Hæc enim omnia, & adhuc multiplex vita atque historia cum vbique penè terrarum notissima habeantur, nec modo ad hanc descriptionem pertinere necessaria videantur, iam nunc ad ea quæ religio boni viri & sanctitas expostulat, manus laborare incipiat, & calamus de ortu eius, & generis nobilitate quod de sanctis magnisque viris plerumque requiritur prænotabo.

Explicit Prologus.

SEQVITVR VITA EIVSDEM.

INclita laudis ac perennis memoriæ Pipini Regis tempore, natus est bonus VVilhelmus de præclara Francorum progenie, ex patre videlicet nobili magnoq; consule Theodorico nomine, cuius mater æquè generosa nobilissima comitissa dicta est Aldana. Ambo quidem de summis Franciæ principibus consules ex cõsulibus, vitaq; & moribus placentes Deo & hominibus. Cum ergò essent tales & veræ diuinitatis cultores, puerum adeò susceptum cum omni diligẽtia nutriunt, eumq; disciplinis liberalibus tradunt, & specialiter informari & erudiri faciunt. Eruditum verò literis diuinis, ac diuersis philosophorum doctrinis parentes eius, vt erat moris, fieri de principum filijs nihilominus instruunt fortioribus studijs atque *exercitu militiæ secularis. Deinde cum iam Pipinus ex hac luce migrasset, & filius Carolus qui dictus est magnus, & glorioſus in throno resedisset, inclitus adolescens commendatus est ei à parentibus, vt regi semper assisteret, & in palatio, vt par erat, militaret. Cumque in aula regia irreprehensibiliter & laudabiliter se haberet, vt regi esset acceptus, & cætui placeret, nullius tamen mordebatur inuidia, nec quisquam aduersus eum mouebatur iniuria. Siquidem VVilhelmi nomen iam celebre habebatur, & de sibi à Deo data fortitudine, de magnanimitate, deque morum eius benè percuncta composita qualitate, fama inclita vbique loquebatur. Igitur commendatus à patre, stat ante regis conspectum suscipit nomen

1. *Patria, genus & parentes S. VVilhelmi.*

Educatio & institutio Christiana.

* *for. exercitijs.*

Fit aulicus Caroli Magni.

Regi & proceribus est acceptus.

Fit princeps primæ cohortis.

consulis,& consulatum in rebus bellicis primæ cohortis sortitur principatum, Regijs principaliter adhibetur consilijs,tractat strenuè cum rege de regni negocijs, de militia & armis,& fit pater patriæ, reipublicæ defensor, pro pace vigilat, in bellis laborat, fouet ciues, hostes expugnat, cunctis in arcto positis, & in angustijs constitutis compatienter subuenit, & pro quibus res exigit apud regem interuenit. Regis verò hæc erat intentio,& cura præcipua Christi gloriam quærere, & super omnes gentes Christiani nominis eleuare triumphum. Quod hic fecit Deo cooperãte in omnibus, & VVilhelmo cum alijs ducibus consilio & virtute opem sibi ferentibus, sic enim eorum muniebatur studijs & honestis consilijs, & præcipuè VVilhelmi innitebatur brachijs, ac si thronus aureus, qui columnis fulcitur argenteis. VVilhelmus regi aderat à dextris & à sinistris,ipse quidem in prosperis & in aduersis paratus.

Caroli Magni pium studium.

II. Sarraceni Christianos in Frãcia oppugnare conantur.

In illis diebus Sarraceni pariter conglobati magnum valdè & inopinabilem producunt exercitũ,montes Pyrenęos transeunt, & vna omnes cõspiratione ad has partes Aquitaniæ prouinciæ,ac Septimaniæ properant confinia,scilicet Christianorum Regnum irrumpunt Caroli,dant infinitas de Christianis strages,victores existunt,spolia diripiunt, captos ducunt strictis funibus captiuos. Præoccupant totam longè lateq; terram quasi iure perpetuo possidendã. Nunciatur hoc Christianissimo regi,neque enim complacet illi audito hoc nuncio;ipsum Christi nomen fidelis inuocat,moxq; suæ virtutis principes & consiliarios more regio conuocat,& quid facto ad talia opus sit eos consulit,& ipse inde cũ eis attentè & sollicitè tractat, omnes per Dei prouidentiã in vnam concordant sententiam, vt statim comes VVilhelmus armis inclit9, bello victoriosus militiæ gallicanæ studijs glorioſus ad hoc opus eligatur,& ipse cũ suis legionib. contra barbaros concitè dirigatur. Adiudicatur etiã conclamãte exercitu,vt totius Aquitaniæ prouinciæ quoniam

Carolus Christi opem inuocat contra Sarracenos.

Comes VVilhelmus belli dux cõtra Sarracenos declaratur.

niam dignus est inuestiatur ducatu, & de consule sublimetur inducem. Non differt Carolus cõsilij effectum, statimq; VVilhelmum manu tenet ac promouet. Ergò VVilhelmus comitis & ducis gloriâ sublimatus, fit inter principes primus, ipse secundus à rege. Suscipit legationẽ, nec laborẽ recusat, mittitur cõtra barbaros. Itaq; VVilhelmus * duce salutatus à Carolo, & ipse pio domino benignum vale faciens procedit, fortem & electum producit exercitum.

Fit Dux Aquitaniæ.

Producit exercitum cõtra barbaros.

** fortè, Dux.*

Itaq; Septimaniam ingressus, transitoq; Rhodano ad vrbem cõcitus venit Aurasicã, agmina disponit & castra, quã illi Hispani cũ suo rege Theobaldo iam pridẽ occupârunt. Ipsam facilè ac breui cæsis atq; fugatis eripit inuasoribus, licet postea & in ea multos ac lõgos ab hostibus labores pertulerit, semperq; prævaluerit decertando. Ereptâ aũt vrbe, plateam omnibus, vt sibi eam detineat faciatq; primam suæ probitatis sedem, vnde & ciuitas illa ad tanti ducis gloriã famosissima multumq; celebris, magniq; nominis per totũ hodie mundũ cõmemoratur.

III. Obsidione cingit barbaros. Potitur vrbe.

Quid verò post hoc egerit, quę & quãta cũ barbaris transmarinis & Agarenis vicinis cõmisit prælia, quomodo ingladio suo cũ auxilio diuino Dei populũ saluauit, & Christianũ dilatauit imperiũ, vt superius est dictũ, nec scripto homo indiget, nec præsẽtis est propositi, excepto hoc quod dici succinctè potest. Quoniã licet multo tẽpore, multaq; * pertinentia valde diuq; decertatũ sit, tamen tandẽ virtute altissimi cũ virtute belli ita Sarracenos perdomuit, & perturbauit tyrãnos persecutãs eos & cõterens, & ad internecionẽ perducẽs, vt deinceps nõ auderẽt, nec fiduciã haberẽt ad has partes quas inuaserãt, redire, nec eis vltra ereptã repetere terrã. Ceterum aũt magnitudinẽ gestorũ eius & præliorũ copiam interdũ varios ducis euẽtus, & durissimos labores, semper verò glorioſos triumphos, si quis calamo attentare audeat, præmaximo proprioq; indigeret volumine.

IV. De alijs rebus gestis VVilhelmi.

** for. pertinaciâ.*

Igitur VVilhelmo duce operã dante, Deoq; cooperante, tandem à tanta persecutione terra quieuit, & pax est populo Dei

V. A barbarorum ty-

rannide Christianos liberat VVilhelmus.

sanctoq; imperio restituta. Resurgunt Ecclesiæ, vel nouæ ædificantur, ipse quoque triumphator ac signifer Christi, dux inquam glorioſus pace & quiete ab inimicis indempta: & ipse bonis omnibus pacificus cæpit iam licentius Deo inhærere, vtpote bellorum curis & tumultibus liberior, & vt olim corde perceperat, cultibus diuinis totus inhiare. Non resoluebatur ignauiâ, nec indulgebat quieti in delectatione carnis, vt solent plurimi plurimũ perpeſſi laboris, ſed tanto fortior quanto liberior pijs vacabat ſtudijs & operibus bonis. Primò quidem de ſtatu reipublicæ, & de communi omnium vtilitate nocte dieq; tractabat. Secundò vt ſacræ leges ſalubriter conſtitutæ, ratæ forent & illibatæ, lites vniuerſorum & diuerſa negocia æquiſſimis dirimens & diſcernens iudicijs, pauperum ſpecialiter pupilli & viduæ iudex ipſe propitius. Tertiò verò terræ principes ac dominos temperabat, ne ſubditos è iure violenter opprimerent. Vniuerſos autem quantum in ſe erat pacis & gratiæ vinculis aſtringebat: Præterea de cœnobijs ſacriſque locis atque ordinibus communem vitam profeſſis tantam ſuſceperat curam, quantam vix ſolet quilibet paterfamilias de domo propriâ ſiue familiâ regendâ ſuſcipere. Cumq; generaliter Monaſterijs omnibus largus & munificus haberetur, illa tamen quadam ſpeciali prærogatiuâ tuebatur & fouebat, quæ dominus ſuus Carolus olim noua conſtruxerat, aut deſtructa renouârat, dona deuotus inferens, prædia cõcedens, neceſſaria etiam adminiſtrans ſtipendia, Chriſti verò ſacerdotes, ac ſi apoſtolicos viros tantâ dignos habebat reuerentiâ, vt primus eis aſſurgens, & primus eis ſupplicans, illorum ſe committeret precibus angelicis, & eorum manibus atque ſacris altaribus ſuas quotidie perferret oblationes. Porrò de peculiaribus & furtiuis eleemoſynis quas eius dextera furabatur ſiniſtræ, & in pauperum ſinum abſcondebat, laudes dicere non eſt neceſſe, quas ille melius nouit, & laude ſuâ approbat, qui

Victoriâ nõ euanescit, ſed ad Dei gloriã erigitur.

Studia eius & conatus pro communi bono.

Quo affectu fuerit erga religioſos.

Monaſteriis præſertim à Carolo Magno fundatis multa elargitur.

De operib. miſericordiæ erga pauperes.

qui eas super numerum multas, & in absconso vidit & solus dinumerauit, & ipse eas in personis suscepit egenorum.

Inter hæc omnia virtutum studia & veræ sanctitatis Deo placita holocausta, vir tamen domini, & seruus domini nostri Iesu Christi quasi nihil ageret suspirabat, nec videbatur sibi adhuc Deo aliquid obtulisse acceptum: Visum est autem ei inspirante gratia Dei, vt nouum nouo opere omnipotenti regi debeat ædificare monasterium, in tali scilicet loco vbi nullum antea fuerit oratorium, in quo diuinum semper fiat sacrificij seruitium, perpes oblatio, iuge sacrificium. Procedit igitur quærere & explorare in quo locorum debeat ædificare, iacere fundamentum, opus accelerare. Incidit ei voluntas ad excelsa montana Luteuensis territorij procedere, circuire & quærere, si forte queat in illâ vastâ solitudine locum iuxta cor suũquem ad Dei omnipotentis gloriam construat, reperire. Deinde ingreditur domino, vt credimus, comitãte, angelo sancto duce, viamq; præparante loca deserta deuia, alpes arduas, celsa promontoria, (arctam nimirum viam) scopulosa & aspera per totum plurimumq́; laboriosa. Abbreuiat citò gratia diuina viæ asperitatem, & adimplens cari sui desiderium, terminat anxietatem. Nam conuallis ipsius angustias ingresso, & ad interiorem eremum paulò longius progresso, subitò occurrit inter ipsas montium crepidines parua quidem & inculta planities, aërijs vndiq; iugis & rupibus constipata, nemorosis circumquaq́; arboribus obumbrata, riuulo viuentis aquæ per medium defluente, & in fluuium Amuris quo clauditur illa vallis, haud procul ingrediente; requiritur nomen loci, & inuenitur quoniam vallis Gellonis antiquitus vocaretur. Et ideò fortassis, vt quidem interpretantur, quod in ipsa solitudine deserti, inter immensos scopulos & colles horribiles, quasi agellus vel paruus ager remansisse videretur.

VI. *Proponit nouũ construere monasterium.*

Locũ commodum inuenit construẽdo monasterio.

Videns igitur Dei amicus loci qualitatem, & ad monaste- VII.

rium construendum quandam opportunitatem se manifestè à Deo exauditum, & iter suum à Domino directum. Vnde & referens gratias conditori, omnisq; dilationis impatiens, dat manum operi, instat & vigilat sancto gratoq; labori. Accitis quoque magistris quos secum deducebat, virisq; sapientibus quos in suo comitatu habebat, quã primum cõdecens metitur oratoriũ, metitur etiã totius claustri spacium, domum etiã infirmorum, & domũ refectionis atq; dormitorium, & cellam nouitiorũ, aulam hospitũ, Xenodochium pauperum, iunctũ clibanum pistrinũ, de latere molendinum. His itaq; dispositis & cõgruè atq; regulariter designatis ipse dux ad opus rediit, operarios ponit, artifices præponit, qui quibus insistant operibus, quæue exerceãt studia diligenter & opportunè disponit. Et sic quidẽ incipiẽs à capite sicut dicitur, A sanctuario meo incipite exorsus est à sanctuario. In quo nimirum primo ipse lapides mittẽs in nomine saluatoris, & Iesu Christi, qui est verè saluator mundi, iniiciat fundamentũ, erigit parietes, sustollit tectũ, cõsumat opus perfectũ, marmore precioso perficiẽs pauimẽtum. Sancta Regina cœlorũ & princeps archangelorũ, Petrus princeps ouium, & Paulus doctor gentiũ, cum Ioañe Theologo, & Andrea apostolo cũ omni duodeno apostolorũ numero, præmissa saluatoris principali memoriâ, quẽ decet ante omnia omnis honor & gloria, placuit S. principi, vt specialiter colãtur in eadem ecclesiâ, fecitq; ibidem propria & veneranda altaria.

Morꝫ impatiẽs cæpit ædificare monasteriũ.

Ezech. 9.

Patroni ecclesiæ. B. V. Maria S. Michael, Petrus & Paulus, Ioannes, Andreas cum ceteris Apostolis. Item sub titulo S. saluatoris.

Igitur perfecto opere templi, & quibusdam officinis, festinat seruus Dei conducere seruos Dei de cœnobijs vicinis de locis regularibus atq; religiosis, viros pudicos sanctæ cõuersationis, quibus etiã solenniter abbate dato, temploq; sanctificato, solennẽ quoq; ecclesiæ & altari fecit donationẽ, protestãs in muneribus erga Deum suã animi intentionẽ. Prædia namq; cum scripto largitur ingentia, familiã multam nimis, loco semper & fratribus seruituram, auri quoq; plurimum & argẽti, inirabile-

VIII. Monachos inducit monasterio. Idẽ largitur dotat.

biles multasq; gazas multiplicis ornamenti, greges etiam non parui numeri, sexusq; promiscui pecoris & armēti. Vt autem hæc sua donatio sanctaq; ipsius per omnia & iusta constitutio indissolubilem haberet stabilitatem, & omnimodam in seculis æternis possideret firmitatem, primò scriptis proprijs astipulat, deinde præceptorum regalium vigore corroborat.

Legationē suam suę testamentū à Rege cōfirmare facit.

Erant Beato VVilhelmo duæ sorores virgines tanti generis lineâ satisque nobiles, quarum altera dicebatur Albana, altera verò Berthana, ambę omni elegantiâ ac venustate præminentes, morum quoq; & vitæ lampadibus effulgētes, ambæ de numero prudentum, cum fatuis virginibus nihil habentes: Hæ similes vno cōsilio, pari voto, eodemq; desiderio dominū suū & fratrem aggrediūtur eius genibus cum lachrymis prouolutæ, verbis eum huiusmodi alloquuntur: Audi Domine noster & frater noster petitionem, & adimple deposcimus nostram deuotionem, & ad tuæ oblationis cumulum, magnamq; perfectionem nos offer ipsas domino in oblationem, Si in oculis tuis inuenimus gratiam, tu ipse offer Deo nostrā pudicitiam, nosq; facias illi veram & viuam hostiam pro cuius dulci amore omnem abominamur carnis concupiscentiam. Habemus enim votum Deo auxiliante teq; nobis annuente in loco isto dum viuimus persistere, sub habitu religionis militare, Christo sub titulo professionis, & hīc expectare diem nostræ vocationis. Igitur frater pius cum magno gaudio sorores offert in conspectu diuinæ maiestatis, in spiritu humilitatis sacrificium Deo in odorem suauitatis ferentes in lampadibus suis oleum iucunditatis cum splendore incorruptæ virginitatis. Ipsæ verò perseuerant in monasterio flagrantes amore diuino sanctoque desiderio custodientes votum, tenentes propositum, nunquam mente redeuntes, nec respicientes ad Sodomæ periculum.

IX.

Sorores S. Viri cupiunt renunciare seculo & castè viuere.

Alloquūtur fratrē.

Annuit comes piæ sororum voluntati.

His itaq; nutu Dei gloriosè peractis pater VVilhelmus soro- X.

ribus & fratribus valefaciens, plurimumque eos confortans, magnumq; eis Dei promittens auxilium ad propria reuertitur, nam propria adhuc habere videbatur, licet mẽs eius & propositum, ad id potissimum intenderet, quatenus quandoque Deo propitio abnegato omni proprio, etiam & semetipso, nihil in hoc mundo præter Deum possideret: recessit itaque iterum ad propria, & nimirum in domo eius erant diuitiæ & gloria, rerum omnium copia, prolis gratia, vxoris pudica, & fidelis amicitia, non ventilabant vt olim aliqui eum hostes, neq; sollicitabant Agarenorum gentes, quoniam Deo propitio terra in conspectu eius quieuerat, & ipse ab omni impetu tutus & quietus erat.

Reuertitur VVilhelmus ad propria.

XI. Tædium verũ mundanarum.

Inter hæc autẽ omnia amor Dei tantus erat in eo, vt omnem amorem seculi prorsus tolleret ab eo, & quidquid in hoc mũdo quasi dulce arrideret, comparatum dulcedini diuinæ dilectionis pro absynthio haberet, vnus enim amor altissimi omnes resecabat ab eo affectus huius mundi, & vnus gehennæ timor cuncta in corde illius carnis oblectamenta frangebat. Cum verò fortia facta sororum & virilem earum constantiam reducens ad memoriam, quamq; subitò præcesserant eum ad cœlestem militiam, gaudebat quidem pro eis, veruntamen erubescebat, vtpotè q in seculi militia semper primas tenuerit acies, & nunquam nouissimus in acie apparuit, nunc verò fœminæ & audaciam eius præripuerant & palmam. Cum enim inter cætera illius solitudinis, in qua paulo antè monasterium construxerat, sedulò recordaretur, atque seruorum Dei quos ibidem dimiserat sancta studia vitamq; cœlibem ad mentem reduceret, semperq; in mente haberet, ad huiusmodi æmulationem, quicquid ei erat in hoc mundo præcipuum vilescebat, & ipsemet sibi displicens, eo quod cum religiosis fratribus non remanserat, animo tabescebat. His & huiusmodi cogitationibus vir Dei contristabatur & confortabatur, suspirijs satiabatur, & lachrymis pascebatur.

Pia & aldè æmulatio.

Interea

Interèa causa extitit, vt ipse Carolo valde necessarius, Franciam accitus expeteret; & post multum temporis, natale solũ, patriæq; consulatum immò sui hæreditatem reuiseret. Susceptus à rege mirabili gaudio, omnique dilectionis affectu, laus quoq; meritorum eius acclamata est non minima, ipse verò donis ingentibus est, vt par erat, honorificatus. Obtentu regis aliquandiu moratus est in Franciâ cum eo procedens, pariterque conuiuans, potens in palatio, & in imperio princeps, & in tanta apud regem gratia, sicut filius apud patrem, & Franci omnes exultabant super eum, & nobilis cognatio, necnon & familia naturalis debita præcipuè tripudiabant lætitia. Ipse verò omnibus dilectionis vicem reddẽs, nec tantundem solummodò, sed duplo omnes diligebat, dicente domino: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Tamẽ pro hac tantâ dilectione proq; tantis affectibus, non poterat amor Dei ingens & modum excedens, in corde eius tepescere, sed tanto ardentius quanto secretius succendebatur, & in cordis penetralib. flammis crescẽtibus æstuabat. Namque inter delicias domini scilicet Caroli, inter oblectamenta seculi, inter blandimenta carnalium amicorum nocte dieq; tractabat, cura præmaxima & corde peruigili, quatenus relictâ hac omni pompâ nobili, & gloriâ trãsitoriâ huius mundi quæ præterit vt flos fœni, vel similitudo fumi, pauper & modicus Christum pauperem sequeretur, & eo ductore eodemq; largitore, gloriam quæ non finitur, & diuitias æternas in cœlo consequeretur, & Regis immortalis patrisque inuisibilis miles esse mereretur. Veruntamen in hoc eius animus fluctuabat, & quadam dubitatione suspendebatur, vtrum domino suo Carolo inconsulto cui tantopere in amicitijs astringebatur, id fieri oporteret. Ergò visum est ei optimum & dignum duxit, vt cum gratiâ & consensu domini tam dilectissimi ac regis Christianissimi, de illius seruitio ad Christi se transferret militiam, ne fortè nisi hoc faceret reus haberetur

XII. Reuisit Frãciam, Regemq; Carolum.

Matt. 22. Marc 12. Luc. 10.

In summis delicijs nil nisi diuinum spirat amorem.

Regi cogitationes cordis sui statuit exponere.

domino & potestati, sed neq; alicuius offensionis argui posset vel delicti. Alioquin occultè & absque arbitris solâ diuinitate conscià longè antè effugere cogitauit. Accedit ergò solitâ familiaritate ad regem, & cum opportunè inueniens datis primitus magnis & saluberrimis pro quibus aduenerat cõsilijs, subsequenter de semetipso incipiens ita persequitur: Mi domine, mi pater Carole, quem rex cœlestis populo suo dedit regem, cuius me esse militem & principem ipse aliquantis peruolui, tu ipse nosti, teque per tuam gratiam testem adhibeo, quàm verax & quàm fidelis, quàm vnanimis tibi semper extiterim, quantus erga te mihi fuerit dilectionis affectus, vt te vitâ gratiorem, teque super salutem omnemque iocunditatem pro luce mihi haberem, Nosti enim quid ego miles tuus pro te egerim, quanta pertulerim, quotiens te in mortem, & in mortis pericula sim secutus, semper paratus & promptus pro te animam ponere, & tuam quãtum in me fuit seruare & protegere. Si surrexit aduersum te prælium, lateris ipse & capitis custos fui. Si castrorum impetus ex aduerso vel gladius, armatus me opposui; atq; inter te & arma memet murum cõstitui, nunquam subterfugi, nunquam te deserui. Nunc ergò obsecro domine mi patienter me audi, nec durè accipias verba tui militis immò dilecti tui, & ne diutius protraham, ecce coram deo meam tibi ostendam constantiam, postulo licentiam, vt ad illius æterni regis nouus miles me transferam militiam, habeo enim votum magno quidem longoque desiderio, vt abrenunciem omnibus, neque ipso abnegato seruiturus Deo in illo scilicet Monasterio, quod iam pridem tuæ charitatis causâ construxi in eremo. His verbis inopinatis clemens Carolus auditis, paulisper diriguit, & vultus eius concidit atq; grauiter suspirans, nec à lachrymis temperans paucis amico respondit. Mi domine VVilhelme quam durũ est quod loqueris, quàm amarum quod suggeris; gladio me appetis, telo percutis, dum talia

Oratio eius ad regem Carolum.

Carolus tristatur ob verba Comitis.

Responsio Regis.

lia prosequeris, vulnerasti cor meum pro hac petitione, affligis vehementer animam meam pro tua discessione. Veruntamen quia iusta est petitio tua, & tam religiosa quàm & rationabilis hæc tua postulatio, nō habeo quid dicam, neq; fas est vt contradicam. Si regum quemlibet mortalium me relicto adire voluisses, si hominem in patrem, qui me magis tibi placuisset nostræ dilectioni prætulisses, hoc vtiq; ad iniuriā meam nullatenus possem ferre: sed aduersus regē illum cōmouerem orbē terræ. Si fecisses pro honore vel dignitate maiore, aut fortè pro diuitijs quibus potenter affluis, cuncta vtiq; tibi mea libēs obtulissem, & ad placitum dedissem. Nunc verò quia nihil est horum, sed desideras effici miles regis angelorum, prę sentia contemnens spe futurorum bonorū, en ita tibi faciam, velim nolim cōsentiam, non refellam propositū, neq; votum prępediā, ita duntaxat, vt morē mihi geras & vnum mihi cōcedas quatenus sine meis donis nequaquā à me recedas. In hoc enim me consolatū & animæquiorem habebis si de regalibus thesauris me donante optima quæq; tuleris in signū & recordationem nostræ dilectionis ac perpetui fœderis vnde saltē honores locū quē ad inhabitandū tantoperè diligis. Hæc ait, & in lachrymis prorumpēs super collū amici ruit, & vt fieri super mortuo solet, diu & amarissimè fleuit. VVilhelmus verò domini sui lachrymas nō ferēs, & ideo amplius lugēs, seq; grauius affligens, postquā ipse nimiū fletum effudit, & dilectissimi regis angelicam faciē regias vestes tantis fletibus infudit, tandem domini mœrorē vehemēter prohibēs, seq; ipsum magnâ virtute animi cōfortans & continens ita respōdit: Non decet Rex clemētissime vestram regiam celsitudinē, nec mihi fideli vestro, nec cuilibet vnquā condescendere, vt oculi vestri pleni gratiâ, omniq; pulchritudine gemmis venustiores berillis splēdidiores, lachrymis profundātur vel lugere videātur. O vtinam ipsas lachrymas vestri fidei vultus non vidissem, V tinam heri siue

Illacrymatur Carolus ob discessum Comitis.

VVilhelmus consolatur Carolum.

nudius

nudius tertius rei huius esse præscius potuissem, fateor peccatum meum, priusquam id pertulissem maiestate vestrâ inconsultâ & insalutatâ effugere valuissem. Nunc autem mi domine in Christi nomine quod mihi expedit, & multum vobis conuenit, causam meam incipere, & neq; vultu tristi, neque mente lugubri, sed cum iocunditate & gaudio spirituali à vobis me dimittite, & ad communem dominum regemque omnium cursum meum dirigite. Quod autem gratia vestra de thesauris vestris dona mihi placita dignatur offerre, vos quidem facitis vestro regio & imperiali more. At verò si ego meis omnibus pro Christo abrenuncio, quomodo vestra tollo, vel aliquid ab aliquo qualiter accipio. Sufficit enim rerum mearum copia auri quoq; & argenti satis ingens pecunia. Tamen si multum vobis placet aliquid mihi dare, & per me omnipotenti Deo aliquid præsentare, sunt vobis dona religiosa, sunt munera preciosa, quod vestrum est dare sine reprehensione, & meum suscipere absque offensione. Dico enim de glorioso ligno domini quod me præsente olim vobis missum est ab Hierosolymis. Quo audito Carolus primo quidem accepit durè, deinde ad se rediens & tanti amici victus amore, felicem me inquit pro hac petitione, & hoc erit factum cum Dei benedictione.

Lignum S. Crucis pro dono postulat.

XIII. Quomodo Carolus Magnus acquisierit reliquias ligni pretiosi S. Crucis.

Denique cum rex ipse venerabilis primo imperij sui anno Romæ moraretur, & imperialem ad primam restauraret dignitatem, patriarcha Hierosolymitanus desiderans eum honorare multumque ei placere, misérat illi ab Hierosolymis per Zachariam magni propositi, magnique testimonij sacerdotem, perque duos monachos Hierosolymitanos magnæ religionis, nec paruæ auctoritatis, illud dominicæ crucis venerabile, cunctisque mortalibus philacterium adorandum gemmarum splendoribus, & auro purissimo quantum potuit ars humana decentissimè perornatum magnisque postea & crebris

bris exploratum atque probatum virtutibus, vt nulli sit dubium, quin ipsum verè de ipso fuerit nostræ redẽptionis ligno, hoc donum regi dignũ misit Carolo ab Hierosolymis venerabilis patriarcha, quod Dei cultor ille mirabilis Imperator, super omne quod offerri vel præsentari poterat gratum habuit & acceptum. Suscepit enim rex magnus munus sacrosanctum sibi quidem præsentatũ, sed VVilhelmo à Deo promissum & cœlitus prædestinatum. Igitur rege iubente mittitur sine mora*differtur, illud lignum mirabile cum sanctificatâ ac venerabili arâ, nec non & ipsius aræ preciosus cultus & plurima ornamenta, sanctorum etiam pignora glorioſa, quæ Carolus manu propriâ dat amico in hæc verba. Suscipe nunc dilectissime hæc domini tui dona contra malignos spiritus, & contra aduersa omnia præclara atque fortissima arma, suscipe regis tui munera nouissima militiæ tuæ præmia. Hæc tibi semper erunt nostræ dilectionis vera & certissima signa, frequens recordatio, memoria sempiterna. Haud enim dubium, quia quotiescunque hæc sancta oculis aspexeris, vel manibus tenueris domini tui Caroli obliuiſci non poteris. interea iam cœpit audiri & murmur crebrescere, quomodo VVilhelmus acceptâ licentiâ à rege vellet mundum relinquere, & mutato schemate monasterium vel eremum expetere, tunc subito tota domus regia consurgit, omnis pariter ciuitas ruit. Adest repente non parua procerum frequentia, intrat cum violentia omnis illa nobilis Francorum militia fortiter ei astrictus*in magna amicitia, accurrit mente perdita & vehementer attonita illa sua specialis & naturalis familia omnes eiulantes & vocibus incompositis coram rege conclamantes: Quid VVilhelme domine, quid est quod putas facere! Vt quid vis recedere, regem relinquere, regnum euertere, vniuersos nos perdere? Quo enim vis abire? Si enim vis ad Deum ire, vbique locorum potes eum inuenire: Ideo princeps

*defertur.

Reliquiæ SS. VVilhelmo à Carolo M. donatæ.

Procerum & aulicorum sermo ad VVilhelmum.

* *Astrictus*

Hominũ huius sæculi iudicia

VVilhelmus conflans permanet in proposito.

princeps egregiè te decet considerare ac pro salute multorum sententiam retentare. At verò Dei fidelis cuius iam mens tota conuersabatur in cœlis, responsum non dabat eis, sed tanquam mons immobilis & turris fortitudinis, nec mouebatur verbis, nec flectebatur lachrymis. Cuius etsi inerant viscera pietatis virtusq; magna debitæ compassionis, stabat tamẽ fortissimus immoto vultu penitus & irreflexis oculis. Cumq; inuictum teneret vultum tamen tandem propter lachrymas & gemitũ eleuans oculos cœlos respexit, & respondens breuiter omnibus dixit: Si mihi ò chari mei fidem possetis dare, & obsidibus firmare vt semper in hac vitâ queam vobiscum manere feliciter, nunquam mortem videre, potero vtcunq; quamuis non benè, vobis acquiescere. Si verò id non potestis, finite me quæso si amici estis, immò quia non potestis, si inquâ hostes non estis, finite ad vitam ire, lucẽ sequi, viam tenere, veritatem quærere, veraciter inuenire, hodie fortassis vel modico tempore possim vobiscum manere, sed constat, & vos scitis, quia mortis necessitas & conditio naturæ tollit nobis manere. Hæc dicens beatus VVilhelmus & cunctis valefaciens, seq; propere ab omnibus ac fortiter excutiens exijt de ciuitate baiulans crucem suam in ænigmate, crucem vero Iesu Christi in virtute, rege Carolo dilecto suo domino diutius illum cum lachrymis deducente, Francorum exercitu cum dolore & gemitu cunctaq; multitudine eum longius quousque oportuit prosequente. Igitur Dei amicus tandem expeditus tantisque diruptis mundi huis vinculis, liber & absolutus ecclesijs multis eleemosynis & pauperibus erogatis, seruis etiam non paucis libertate donatis Franciam egreditur Auernam ingreditur. Cumque ad insignem vicum qui vulgo Biuate dicitur, deuenisset, ibique spatio itineris opportuno officiosissimè vt parerat hospitio susceptus fuisset, pergit oratum ad venerabile templum sancti Iuliani Martyris, vbi deuotè multumque lachry-

Egregium VVilhelmi responsum.

XIV. Sæculo Galedicturus multas elemosynas erogat pauperib⁹ & ecclesijs.

lachry-

lachrymatus puram celebrat orationem, oblatisq; dignis sancto altari muneribus, etiam de suis armis bellicis perficit oblationem. Offert itaq; intus in templo antè martyris tumulũ galeam decentissimam, & spectabilem clypeum, foris verò extra templum præsentârat ad ostium pharetram & arcum, ingens telum & versatilem gladium, ex quibus clypeus in tẽplo hodieque *cõuersatur, qui & ipso de VVilhelmo quis & cuiusmodi fuerat, satis testificatur. Iam verò armis omnibus ablatis & cõmunibus domino consecratis, denuò flectit genu terq; quaterq; pauimento prosternitur, & sanctũ Dei martyrem in oratione cum lachrymis alloquitur: Noui sancte Iuliane noui & certũ habeo, quam miles, quam armis strenuus fueris in sæculo, nunquam victus, nunquam derelictus à Deo, ideoq; coram altari tuo arma hæc derelinquo, quæ Deo omnipotenti dimitto, tibiq; ea committo, insuper verò & animam meam, tibi instanter cõmendo, & viam istã quâ nunc ad Deũ vado, vt tu serues me à malo custodias à delicto, salues ab hoste maligno. His ita ritè peractis beatus VVilhelmus modo Dei peregrinus, & huius mundi incola suburbium iliud egressus cœptum iter accelerat, Aquitaniam intrat, & auertens oculos ab illâ ducatus sui terrâ partesq; illas iã videre dedignans, cursum dirigit gaudẽsq; properat ad monasteriũ illud, quod ipse paulò antè in eremo cõstruxerat, illuc anhelat, ibi saluari sperat, illuc ducente domino peruenire desiderat. Tandẽ intrat prouinciã Luteuensem, & optato peruenit ductu angelico ad conuallẽ Gellonensẽ. Videns loci amœnitatem gratamq; pulchritudinem illãq; suam recognoscens dilectã solitudinẽ gratias referens omnipotentẽ adorat, qui viã suã direxerat, & benè prosperârat salutat monasteriũ, spiritũ sanctũ implorat: Aduenì, inquit, cælitus sancti spiritꝰ gratia, pietate solita semper hunc locum visita, tu salua, tu ædifica, & ad tuam magnã gloriam habitationem istam & inhabitantes in ea benedic,

Arma sua bellica offert S. Iuliano martyri.

** for conseruatur.*

Oratio VVilhelmi ad S. Iulianũ.

XV. Omnibus terrenis rebus despectis ad monasterium properat, quod ipse fundarat.

Inuocat S. Spiritum.

& sanctifica. Hic me ô sancte sanctorum susceipiat tua propitiatio: hic mihi delictorum tribuatur remissio, hic detur mihi requies, & in pace dormitio, & in nouissimo die bona, quam credo carnis resurrectio, vt cum sanctis & electis occurram iudici meo & in æternâ gloriâ semper gaudeam cum eo. Inter hæc verba orationis laudis & confessionis, & totius ad Deum deuotionis vir sanctus appropinquat Monasterio nudis pedibus, indutus ad carnem non molli neque leui cilicio. Auditur de eo. Venitur ei obuiam longe procul in biuio, fit illi quamuis resistenti vehementer ac contra dicenti festiua atque religiosa velit nolit processio. Susceptus à fratribus, quos ipse olim ibidem constituerat, abbate prætuio, quem eis præposuerat, cum summâ reuerentiâ, cum gaudio magno, communique lætitiâ ducitur ad orationem, deferens mundis manibus & mundo corde auro preciosiorem, gemmisque splendidiorem salutiferæ crucis perpulchram oblationem Ligni vitæ, seculi redemptionem. Nec minus quoque & aram Deitate plenam, mirâ virtute præclarâ, cuius superius mentionem fecimus ipse in vlnis detulit ad hanc processionem. Oblatis muneribus tam sanctis, tamq; pretiosis, alijsq; decoris valde & præcellentibus donis, calicibus scilicet aureis & argẽteis cum suis offertorijs, libris etiam valdè bonis, multumq; necessarijs, sanctorum quoq; reliquijs inconparabiliter preciosis, nec minus & vestib9 sericis, cum stolis auro textis, & pallijs transmarinis, positisq; omnibus reuerenter super altare sancti saluatoris, ipse solo prosternitur, extensisq; manibus mũdo sic crucifigitur, circiter duabus horis preces quas ad cœlum fundit, dulcesq; lachrymæ quibus terrã irrigat, vel pauimentũ, credimus quod Deus audit, & propitius exaudit. Nam virtus orationis, flamma compunctionis ascendebat à terris in cõspectu conditoris sicut virgula fumi ex aromatib9 mirrhæ & thuris, & sicut sacrificium vespertinum in gratiâ suauissi-

Nudis pedibus incedit, indutus cilicio.

Solenniter excipitur à fratribus.

Reliquiæ Ligni S. Crucis cum alijs donarijs, quæ à Carolo Magno acceperat, monasterio offert.

Feruentissimè orat.

Cant. 4. Psal. 140.

suauissimi odoris. Completâ verò oratione, factaq; cunctis altaribus cuiq; digna veneratione, ingentia namq; munera in singulis Deo obtulit, & ea deauratis & decenter gemmatis ornamentis operuit. Itur in *adiutorium, & osculatis fratribus lecta ex more lectione, facto pro tempore quoq; breui sermone de animæ ædificatione, mox vir Dei subinfert & indicat manifestè, cur ipse venerit, & quâ intentione; Volo inquit vos scire domini mei, amodò patres in Christo & fratres mei, quoniam ad hoc hodiè huc aduenì, vt abnegatis & renunciatis omnibus, quæ sunt huius mundi, adiungi merear si placet vestræ societati, per gratiam omnipotentis Dei secundū regulam sancti Benedicti. Ideoq; si placet sanctitati vestræ, & si iudicatis me dignū æternæ vitæ, preces meas exaudite, & recognoscentes desiderium meum, perficite & differre nolite. Hæc eo dicente omnes qui aderant, stupore detinebantur, & hanc verè diuinam dispensationē altius considerantes, quantò mirabantur tantò & lætabantur, & iudicantes petitionem eius fieri debere omnia rite præparant, & ipsi præparantur. Igitur año ab incarnatione Domini DCCCVI. Imperij verò Caroli *quinto die natalis Apostolorum Petri & Pauli VVilhelmus comes auro textis depositis vestibus, per Dei gratiam solenniter benedicitur, totus ille in eo sacer ordo perficitur, coma nobili, barba venerabili deposita & Deo consecrata, veste apostolica instar crucis induitur, extendensque manus suas quia ducendus quo non velit, ab alio præcingitur, cumq; abnegat suus esse, Benedicte pater tuus, immò suus, totus tuus sancte Deus efficitur. His ita digestis ad laudem & honorem Dei omnipotentis VVilhelmus Dei famulus, & modò annumeratus & assignatus IESV CHRISTI discipulus, subitò immutatus, velociter alteratus, cœpit nouus homo haberi, & alter à seipso modis omnibus videri. Neq; enim erat ipse in quo, quod olim fuerat, iam ipsum non erat esse, sic deniq; nouus

*for. auditorium. Iuxta regulam S. Benedicti, cap. 53.

Petit suscipi in cōgregationem fratrum.

XVI. VVilhelmus fit monachus.

* R. Baron. VI.

Induitur veste Nouitiorum in modū crucis cōfectâ.

Totus immutatur.

Col. 3. homo veterem exuerat, vt nec signa remansissent eius, qui olim fuerat. Qui enim solebat paulò antè in palatijs degere auro radiantibus ac depictis synopidis cænacula perornata, & triclinia constrata cũ gloriâ possidere, præcelsa propugnacula vel summas arces tenere, hic modo abiectus in domo Domini Psal. 83. elegerat habitare, & in angulo claustri vltimus, & cũctis vilior diligebat latitare. Ipse quoq; qui etiam paulò antè nouerat leges dare, populum informare, indoctos docere, doctos magis promouere, quiq; seruis innũeris & familiæ multæ nimis dignus fuerat præesse, & meruerat prodesse, & tanquam rex circumstante exercitu stare medius, pater familias esse, hic modo docebatur sine indignatione & in omni patientiâ sine murmuratione à quibuslibet personis, à pueris etiam & ætatis iunioris. Docebatur nec confundebatur, corripiebatur, non irascebatur, interdum cæsus & iniurijs læsus, neq; resistebat, neq; comminabatur. Gaudebat planè in subiectione & delectabatur in omni abiectione, volens esse subditus propter 1. Pet. 2. Deum omni humanæ creaturæ paratus cunctis seruire obsequi & obedire proficiens quotidiè in sanctitate & religione, & in omni sanctæ regulæ obseruatione sicut aurum in camino mirabili coctione. Nunc ergò necessarium videtur, & ad rem pertinere, aliqua de multis, quod ipse in monasterio postea fecerit, referre, nondum enim monasterium ad perfectum ex toto perduxerat, sed postea in habitu sanctæ religionis adiuuantibus eum filijs Bernardo scilicet & VVilhelmo, quos comitatibus præfecerat suis, comitibusq; vicinis perfecit, sicut cæperat. Difficilis ergo ad iam dictum monasterium præasperitate montium ingressus erat, sed ipse Dei seruus iam monachus argumentosè incisa rupe cum malleis & securibus & diuersis ferramentorũ generibus, iunctisq; firmiter & diligẽter ferro & plumbo lapidibus, iactatoq; fundamento secus flumẽ Dui auris viam altius sustulit, quantũ potuit direxit, & monti coniun-

Humilitas eius & patientia.

XVII.

Bernardus & VVilhelmus filij VVilhelmi comitis & monachi.

coniunxit. Item pro eius amore & petente eo Ludouicus Caroli filius rex Aquitaniæ cum omni bonitate de fiscis sui iuris dedit monasterio cum præcepto regio, annuli sui authoritate firmato. Et fecit quoq; bonus VVilhelmus circa monasteriū vineta & oliueta plantari, hortos plurimos constitui. Ipsam vallem destructis arboribus in fructuosis fructiferis pomærijs melius complantari. Huiusmodi verò opera quia erant loco valdè necessaria non solum per alios faciebat sed etiam in ipsis laboribus pro Dei amore & verâ humilitate & religione seipsum exercebat. Propterea crebrò veniens coram abbate & fratribus, eorum humiliter prouoluebatur genibus, petens & persuadens magnis obsecrationibus, vt concedatur ei & consentiatur pro misericordia Dei amplius adhuc abijci, amplius humiliari, vilissimum & contemptui haberi. Nulli vltra foret in memoria illa quam reliquerat dignitas & gloria, nemini VVilhelmi nomen esset in reuerentiâ, sed in illâ cōgregatione sanctissima haberetur purgamentū cunctorū, omniumq; peripsema. Item postulat magna precum instantia, vt si quæ sunt in monasterio officia, quæ alijs quibusdā habeantur indigna vel quasi inhonesta seu indecentia siuè fortè leuia siue difficilia, hæc sibi in Christi nomine iniungantur prouidēda. Hinc ad fratres se conuertens eisq; secreto vel in confessione loquens deprecabatur eos dicēs, vt omnes atq; singuli pro seruo illo vtantur, & quasi vni ex mercenarijs ita ei imperare, & sua quisq; opera iniungere minimè reuereantur. Vult esse iumentum, & tanquam pullus asini portare fratrum onera in illa domo domini, iuxta illud psalmistæ in persona animæ sanctæ ad obedientiam promptæ: *vt iumentum factus sum apud te, & deduxisti me in tua voluntate.* Re enim vera visus est sæpissimè pro summa humilitate asellum humilem vilemq; sedere messis tēpore & flascones vini fratribus ad reficiendū deferre.

Ludouicus filius Caroli M. dotat monasterium VVilhelmi.

VVilhelmus ipse strenuè laborat.

1. Cor. 4.

Extrema quæq; & vilissima sibi demandari curat.

Psal. 72.

Opera eius vilia.

O quam

O quam mirabilis DEVS, qualis mutatio dexteræ illius. O qualis de quali effectus est hic seruus eius bonus VVilhelmus quantum mutatus, quantum humiliatus. Qui quondam vtebatur decentissimè equis mirabilibus electis & exquisitis de multis mundi partibus, cuius etiam serui numerosi & serui seruorum eius equis ibant, & curribus pretiosis & pluribus, hic modo non erubescat vili asello gestari cum suis flasconibus. Neque his contentus, si quis fratrum in officio vili & quasi contemptibili detineretur, in quo etiam quasi locus iniuriæ vel contumeliæ videretur: huius nimirum frater VVilhelmus aderat vicarius, subleuator oneris, humilis operarius, & omnibus indiscretè vnus hebdomadarius. Sortitur interea ad suã ipsius petitionem seruitium coquinæ, & administrationem, nouum quippè quotidie renascentemque laborem; quem tamen multo maiori amplectitur gaudio, propter omnipotentis Dei amorem, quam olim dum adhuc mundo viueret, sibi contigisset regni gloriam obtinere vel imperij honorem. Ecce dominus VVilhelmus de consule cocus, de duce magno inquilinus efficitur, ligna collo deferens, amphoras aquæ baiulans, ignem excutiens & ipse succendens. Quique olim vixerat in delitijs præclarus, inter discos & pateras mensæ imperialis, quam plurimos habens coquinæ ministros, ipse modo cocus humilis, & seruitor fidelis, manibus proprijs paropsides abluit, olera colligit, pulmenta condit, legumina infundit, & ipsã refectionis horã nullã interueniẽte morã, cuncta lautè præparata, munda & purificata, mundis manibus & mundo corde fratribus anteponit, recumbentibus ministrat, ipse verò non recumbit, immo ieiunia continuans lares fouet & custodit. Porrò mensã peractã & lectione finitã, seruus seruorum Dei cum omni diligentia vasa cũcta recognoscit ad se pertinentia, quæ iterum lota, itemque dinumerata eidem operi & labori consignat sub custodiã.

XVIII. Fratribus alijs inseruit, & eorum officia viliora ipse subit.

Coquinæ seruitium suscipit.

Exercitia eius post refectionẽ fratrum.

Præte-

Præterea portanti hæc omnia quasi vel grauato vel parum onerato, parumq; humiliato, cura iniungitur pistrini, officium molendini, additur opus operi, augetur onus oneri, labor accrescit; Adhuc operarius ille Dei onus aliud postulat & conceditur ei cura scilicet præparandi clibani, & calefaciendi, coquendos imponendi panes, & extrahendi coctos, quod *cum genus operis antea nunquam attigerat, neque in sæculo in huiusmodi arte se vnquam exercuerat. Igitur VVilhelmus pistor & calefactor clibani, seruitor ipse, coquinæ, & pulmentorum ministrator, tanta vigilantia tantaque prouidentia administrat omnia, vt iure argui posset obedientia. O quã imitator ministri illius, qui assumptâ serui formâ, in specie nostræ mortalitatis venit non ministrari, sed ministrare & dare animâ suam pro multis, discipulis dicens: *exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Igitur quadam die viro Dei intento orationi, & sanctæ meditationi res insolita contigit ei, siue per inuidiam diaboli, qui bonis omnibus nunquam cessat aduersari, seu per dispensationem omnipotentis Dei, qui merita serui sui virtute obedientiæ volebat palam fieri, iamq; in lucem haberi; nam panibus ad coquendum ex more præparatis, sed lignis ad clibanum succendendum minus præsto cum iam hora officij sui tardare, hora verò refectionis fratrum videretur propinquare ac fortiter festinare, VVilhelmus seruus Dei timens de negligentiâ argui, & inobedientiâ accusari & grauiter iudicari, concitus accurrit, atrium circuit, huc illucque discurrit, sarmenta congerit, stipulam colligit, & quidquid manus inuenit, sicque quocunque modo quibusque potest fomentis caminum fortiter ac velociter calefacit, quo repente benè conflato & ad opus calefacto, cum necessario furnus euaporantibus, prunisque flamma vernantibus esset euacuandus, calybe repurgandus, cineribus extergendus, item contigit

Adhuc magis humiliatur.

Fit pistor.

**fortasse men.*

Matth. 20. Ioan. 13.

XIX.

cuncta vsui huic armamenta minus adesse, nullumque penitus huiusmodi instrumentum ad id operis supplendum illic reperiri posse. Cumque iam seruum Dei tempus vehementer vrgeret, cura argueret, hora fratres reficiendi paulominus præteriret, nil consilij vel auxilij ab homine inueniret, quid faceret? de cœlo citius requirit consilium, ad diuinum concitus recurrit auxilium, nihilque cunctatus, inuocato Christi nomine, factusque tutissimus sanctæ crucis munimine fornacis intrat medium, flammas extinguit, exsuperat incendium, vaporem mitigat, rogum reddit innocuum. Sicque proprijs manibus *extrafactis carbonibus & scapulari illæso expositis cineribus, lares aptat & temperat intromittendis panibus, ipse quidem neq; vllam in corpore læsionē sentiens, neque etiam in vestimento aliquam qualemcunq; sustinens adustionem. Ille * nunquam (vt credimus) qui in camino Babilonis cum tribus pueris quartus apparuit, huic quoque seruo suo in camino paupertatis & veræ humilitatis, DEI filius affuit, qui flammas domauit, incendium prohibuit, ideoque nec flamma eum nocuit, nec in illum ardor ignis prævaluit iuxta illud quod olim dominus per prophetam dixit: *Puer meus noli timere dum pertransieris per ignem, flamma ignis non te nocebit, & odor ignis in te non erit.* Vnde de clibano tam illæsus modis omnibus tamque exiuit indemnis, quam valens in corpore, quamque veste incorrupta in eum introiuit. Sicque panibus diligenter coctis, & optimè præparatis cophinos plenos deferens venerabili abbati & fratribus ministrauit. Nec dubium id diuinâ ideo prouidentiâ gestum, vt luce clarius fieret, reuelante per ignem Spiritus sancti gratiâ quanti apud eum esset serui sui VVilhelmi fides ignea, simplex humilitas, ardens obedientia, ne vt fratribus esset vltrà in grauiorā culpā labor improbus, & iugis iniuria qua idem vir DEI & vera eius hostia diu sustinuerat eorum negli-

In angustiâ grauis positus ad diuinum recurrit auxilium.

Signo S. Crucis munitus clibanū ardentē ingreditur.

* *for. extractis. Veste illæsa carbones exponens.*

* *fortè μάλιστα. illustre miraculū: Dan. 3.*

Isa. 43.

negligentia mira innocẽtia multaque patientia. Item ideo ne gemma splendida tantaque lucerna arderet in abscondito vel in angulo sola sed potius sub modio abstracta altius eleuata cunctisque manifestata luceret in ecclesia. Ex tunc ergò vir inclitus Deo volente cognitus, seque nolente proditus summa veneratione in ista sancta congregatione est habitus, & quamuis inuitus & reclamans à prædictis officijs est suspensus & omninò prohibitus. Igitur ab omni opere seruili præcipitur abstinere & conceditur ei pro libitu se habere, seq; in Dei opere ad suum desiderium êxercere, orationi & sanctæ meditationi vacare, Deo mente inhærere. Deputatur ei cella ad ipsius voluntatem, quæ omnem sæculi despiciat vanitatem, de quâ etiam cœlum videre, & ad siderei throni suspirare claritatem. Itaq; exercitatus diutius in actiuâ, incipit requiescere in vita speculatiua & post Marthæ seruitium frequensq; ministerium, delectari cum Maria in perenni theorica. Dum autem in mentis ac spiritualibus oculis cælestia contemplatur quidquid est terrenũ seu vile seu pretiosum ac abominationis Ægypti respicere dedignatur, carnisq; naturã anima præminente transcendens, angelicã quantum possibile est puritatem æmulatur. Vnde & tanquã modo incipiens & quasi nouus operarius & recẽs ad opus Dei veniens atq; cum Apostolo quæ retro sunt obliuiscens, & in his quæ sunt ante se extendens, maiori iterum se adiudicat districtioni, nouæ pœnitentiæ ac nouæ afflictioni, iugibus lachrymis, geminæ compunctioni. Cumq; in eo longè atq; per multam abstinentiam omnis titillatio omnisq; fuerit voluntas emortua, caro contrita, sopita carnis vitia, modo tamen tantã iterum ieiuniorum austeritate carnẽ mortificat, tantaq; pertinaciã, vt iure queat conqueri Agar quæ est ancilla de dominæ suæ, á quã nimium opprimitur violentiã. At verò rerum pater qui & naturæ imperat & ipsa obtemperat, sic eum corroborat, sicq; amore reficit, ac

Luc. 11. xx.

In maiori veneratione habetur potẽ perpetratum miraculum.

Luc. 10.

Se dat cõtemplationi.

Mirè carnem suam afflixit. Gen. 16.

verbo vitæ satiat, vt neque famem sentiat nec viribus deficiat.

XXI. Sine intermissione orationi incumbit.

In virtute quoque orationis ac diuinæ lectionis sanctus idem contemplator tantopere delectatur quanto nullis officijs aut curis præoccupatur, adeò vt non tam frequens quàm continuus in hoc semper studio habeatur. Abstinens itaque à cunctis corporis & carnis oblectamentis, & modo non custodito temperans ab alimentis animam ipse reficit epulis mensæ cælestis, & impugnare non cessat viuificis sacramentis, sacris altaribus hanc seruat reuerentiam priusquã sumpturus erat Christi Eucharistiam etiam si sit hyems aquas glacie perstringens vix quoque fontis & ingens tamen aquis perfunditur, & vi algoris decoquitur, cuique munda sunt omnia; ipsã quã abluitur mundior vndã redditur. Neque verò tamen hoc faciebat, quoniam diuina superaturus erat, sed etiam alijs multis vicibus & indiscretis noctibus tali lauacro totum corpus infundebat. Qui post multam longamque refrigerationem de aquis egrediens, boni*Michaëlis oratoriũ introibat, ibique vno perraro tectus tegmine, peruigil in oratione manebat, vtroque genu flexo, & nudo marmori affixo, pectus crebro percutiens, suspiria emittens, & multis lachrymis ora infundens. Habebat quoque in consuetudine coram sacris altaribus centies in die & centies in nocte genua sua flectere, & non solum pro suis, sed etiam pro peccatis omniũ misericordiam Dei implorare. Præterea recolens agni occisionem, illas iniurias, illas accusationes, alapas, sputa, flagella, omnemque derisionem, à fratre familiari & amico singulari facit se in conclaui pro Christo expoliari, pro illo adiudicari, se iudice condemnari, sicque cædi virgis & acriter flagellari, *idem mundior electro vitroque purior sacro propinquat altari. Ergò semper cum lachrymis sacris astat mysterijs, & cum lectucis agrestibus reficitur epulis hostiæ salutaris, hoc pane cælesti pascitur ad salutem, hoc potu spirituali vitam capit &

Quâ reuerentiâ ad S. Eucharistiam accesserit.

Gratia compunctionis & lachrymarum ineo.

**for. beati: Totis noctibus perseuerat in oratione: Centies in die & cẽties in nocte coram altaribus genua flectit.*

XXII. Ob memoriam passionis Dominicæ virgis caditur & flagellatur.

**for. inde.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pit & virtutem. Anima nutritur ad immortalitatem, carnis fragilitas non sentit debilitatem. Porrò inter hæc egregia & sancta exercitia, inter virtutum dona & sanctitatis studia, bonus VVilhelmus spiritu prophetiæ donatur, ac diuinis oraculis plurimum vita eius declaratur. Requiescit super eum spiritus domini & præscientia Dei futura suggerit, & quæ ventura sunt denunciat ei, vnde & sanctissimi obitus sui diem in spiritu ante longè præsciuit, quem accedente tempore non solum abbati, sed fratribus imminere prædixit, verum etiam locis vicinis & monasterijs circumquaque positis vel procul institutis scripto significauit. Etiam dilectissimo domino suo Regi Carolo nuncium legauit. Insuper verò quod signum fieret quando eius anima de corpore exiret manifestè indicauit. Igitur bonus VVilhelmus plenus sanctitate, gratiâ & virtute consummatus, obedientiâ ac verâ humilitate gaudens exspectat diem vocationis suæ, quo instante, iamque præsente iterum prædicit ipse horam suam aduenisse mittit pro abbate, fratres postulat adesse, quibus præsto factis, multum verò pro eius exitu iratis superque contristatis, ipse dulcibus ac potentibus verbis eis persuadens orationem, prohibet mœrorem, fletum mitigat, compescit dolorosos, non esse illos dicens lugendos, qui per fidem Christi & passionem ad beatam pertinent resurrectionem. Inde commonens eos de verâ religione, de fraterna pace, purâque dilectione postulat se muniri diuinis sacramentis, illâ scilicet escâ, quæ vinificat animam, scilicet Christi communione. Sicque fratribus valedicens, & his obitum suum committens, ipse quoque illos locumque dilectum commendans Deo, & in manu relinquens attollit oculos manusque in oratione & spiritus iam liber & ad migrandum paratus totus eleuatus in Dei contemplatione, deposito carnis onere, atque terrenâ mole pergit cum exultatione deducentibus angelis

XXIIII.

VVilh. Imus spiritu prophetiæ pollet.

Cognoscit diem obitus sui.

Significat Carolo se moriturũ.

XXIIII.

De quorũ morte non dolendũ.

Sub mortẽ sacrâ communione se muniuit.

Sanctè vita fungitur.

alacri & canorâ processione, dulci organo, suaui modulatione. Migrauit igitur bonus VVilhelmus ab luce feliciter quinto Cal. Iunij glorioſus ad curiam regis æterni, vt ſemper aſſiſtat ante thronum Domini in conſpectu agni antè faciem filij Dei. Ipſa autem hora ſanctiſſimi eius tranſitus factus eſt repentè per omnes circumquaque prouincias per omnes maiores & minores eccleſias magnus valdè & inſolitus clangor ſignorum & campanarum ſonitus, longa pulſatio, mirabilis tinnitus nullis hominibus funes trahentibus, vel ſigna commouentibus, niſi ſolâ virtute diuinâ, quæ ſuperuenit cœlitus. Vnde datur intelligi quia amor & gratia omnipotentis DEI volebat reuelare inſolitis miraculis merita dilecti ſui ad laudem & gloriam nominis ſui.

Qui viuit & regnat DEVS per omnia ſecula ſeculorum.

Amen.

Circa annum Dni. 810. Vide Arnol. VVion. li. 3. Ligni Vitæ in notis ad Matyrol. hac die.

Inſigne miraculũ in tranſitu eius circũquaq; omnes campanæ ſponte ſuæ nullius hominis operâ pulſantur.

INDEX TOTIVS OPERIS.

A.

Abbas Hirsaugiensis eligitur VVilhelmus absens. 2

Abbas monasterij solitariorum monachos Hirsaugiam mittit. 38

Abbatiæ & Episcopatus Simoniacè dabantur. 5

Ab omni homine se doceri sustinuit VVilhelmus H. 13

Adelbertus comes de Calue monasterium constituit. 38. 46

Adelheidis filia Henrici Imp. Abbatissa in Quendelburg. 41

Aduentus Prioris Gebhardi, Cluniaco cum sacris reliquiis reuersi. 23

Affectus VVilhelmi Gellonensis erga religiosos quantus? 80

Affluit benignitate in eos qui se mancipare diuino seruitio cupiunt VVilhelmus H. 5

Agnes vxor Henrici III. 41

Albertus discipulus sancti VVilhelmi eremitæ. 34

Aldana mater S. VVilhelmi Gellonensis. 77

Annonam multiplicat VVilhelmus Hirs. 13

Anselmus Episcopus Cantuarensis familiaris VVilhelmi Hirs. 58

Anselmi Epistola ad S. VVilhelmum notatu digna. 59

Apollonius I. Abbas Mon. S. Emerammi. 41

Arma sua bellica offert S. Iuliano martyri VVilhelmus Gellonensis 19

Auctor historiæ S. VVilhelmi Hirs. quis? 33

B.

Barbati fratres religiosi 19
qui nunc conuersi appellantur 67
a poëtastro quodam schismatico sugillantur. 67 68

Beata Virgo apparet cuidã seruo Dei. 19

Benignitas VVilhelmi Hirs: præclara in 70. fratres exules. 14.

Bernardus abcas Clarauallensis. 34

Bernardus abbas Bonæuallis. 34

Bernardus abbas Massilienſis legatus Gregorij VII. 64

Bernardus & VVilhelmus filii VVilhelmi Gellon: 94

Brachium contractum à VVilhelmo H. sanatur. 9

Brachium ad tactum fœminæ iterum arescens à VVilhelmo Hirs. restituitur. ibid.

Brachium F. Bennonis læsum sanatur. 11

C.

Cambergense monasterium. 18. 67

Canutus rex Daniæ & Angliæ. 41

Capilli S. Petri Hirsaugiam portantur. 24. & 70.

Capturam fratri piscium dat VVilhelmus H. 12

Caroli Magni pium studium. 78

Carolus Christi opem implorat contra Saracenos. 78

Carolus tristatur propter VVilhelmum Gello. 86
Carolus illachrymatur propter discessum VVilhelmi. 87
Carolum consolatur VVilhelmus Gellonensis. ibid.
Carolus magnus accipit Lignum S. Crucis. 88
Castigat corpus suum VVilhelmus H. 2
Catalogus virtutum VVilhelmi Hirs. 3
Cella S. Gregorii fundatur. 18. 65
Centies in die & centies in nocte coram altaribus genua flectit VVilhelmus Gellon. 100
Chunegundis vxor Henrici III. 40
Claudum in ponte obuium curat VVilhelmus H. 8
Cluniacenses constitutiones Hirsaugiam deferuntur. 64
Cæcus opem Diui Aurelii inclamans visum recipit. 37
Cœnobia septem fundat VVilhelmus abbas. 18
Cœnobia antiqua restaurat VVilhelmus. ibid.
Cognoscit diem obitus sui VVilhelmus Gellon. 105
Comes Adelbertus VVilhelmum dolo circumuenit. 2
Comes spiritualium quærit consilia. 4
Comes monasterio renunciat. ibid.
Comes iubet Abbatem conficere literas vt vult. ibid.
Comes VVilhelmus belli dux contra Saracenos. 78
Comitis fraus innotescit abbati per Comitissam. 3
Comiti tribulatio immittitur. ibid.
Comitis testamentum confirmatur & Regi offertur. 4
Commiserationis affectu vtitur tam in bruta animalia, quã homines VVilhelmus Hirs: 16
Compunctio cordis quanta in VVilhelmo Hirs: 6
Concursus frequens ad VVilhelmũ variis de causis. 5
Confidentia VVilhelmi magna semper in Deum. ibid.
Conradus Episcopus Cõstantiensis. 28. 72
Conradus abbas Hirsaugiensis. 38
Conradus Cæsar perutiles condit leges 39
Consolatur afflictos VVilhelmus. 6
Conuersorum consuetudinem primus inuenit VVilhelmus Hirs. 19. 67
Conuersorum vita eo tempore qualis? 20
Coquinæ seruitium suscipit VVilhelmus Gellon: 96
Cornelius Graphæus. 34
Curtis nomine quid intelligatur? 47

D.

Dedicatio noua ecclesiæ quãdo facta: 70
De quorum morte non dolendum: 101
Diemo fit Archiepiscopus 63
idem martyrio afficitur. 64
Dietgerus vir præclarus, monachus factus. 64
Diethericus abbas in Petershausen. 66
Doctissimus in omni scientia VVilhelmus Hirs. 1

E.

Ecclesia Dei scinditur schismate. 55

Educatio & institutio Christiana VVilhelmi Gellonensis. 77
Egregium VVilhelmi Gellonensis responsum. 90
S. Emerammi vita & martyrium. 41
Episcopus Argentinensis ad deuastandam Hirsaugiam accingitur. 25
subitaneâ morte punitur. ibid.
Episcopus VVormatiensis VVilhelmo H. infirmo visitator adest. 29
Epitaphium S. VVilhelmi Hirs. 31
Eppo VVormatiensis Episcopus. 72
Erlafridus comes monasterium Hirsaugiense ædificat.
Eruditissimus VVilhelmus in septem artibus liberalibus, 1
Exemplum simplicitatis & puritatis animi VVilhelmi. 15
Exemplum memorabile de Gregorio VII Pontifice. 18
Exequiis VVilhelmi Hirs: quinam interfuerint. 23
Exercitia VVilhelmi Gellonensis post refectionem fratrum. 96
Exhortatio VVilhelmi vltima ad fratres. 21
Extrema & vilissima sibi demandari cupit VVilhelmus Gellonensis. 95

F.

Factum Gregorii Papæ VII. 67
Factum VVilhelmi notandum. 21
Felix Renda prior Monasterii montis Virginis. 35
Feruentissimè orat VVilhelmus Gell. 92
Fraus piscatoris, 10
Fridericus abbas Hirsaugiensis. 38. 46
Furtum reuelat VVilhelmus Hirs. 11

G.

Gallus abbas. 24. 71
Gebhardus paralyticus sanatur. 9
Gebhardus filius Ducis Alemaniæ monachus sub VVilhelmo factus. 55
Gebhardus Episcopus Constantiensis ordinatur, multa bona monast: Hirs: facit. 56
Gebhardus alius vir nobilis & doctus sub VVilhelmo monachus factus. 56
Gebhardus multas iniurias monachis facit. 56
Gebhardus cõuersus, valedicit sæculo. 56
Gebhardus petitas reliquias à summo pontifice obtinere non potest. 70
Gebhardus ordinatur Episcopus Spirensis, 28. 72
S. Genouefæ monasterium Parisiis. 34
S. Georgii martyris monasterium. 18. 66
S. Germani monasterium Parisiis. 34
Gisela filia Henrici Imp. monialis. 41
Giselbertus primus abbas Haßungen: 57
Gratia compunctionis & lacrymarum in VVilhelmo Gellonensi. 100
de S. Gregorio exempla 24. 71
Gregorius Cardinalis S. Theodori. 34
Guilielmus confessor, Eremitarum pater montis Virginis. 35
Guilielmus episcopus Briocensis de quo Godefridus episcopus Bituricẽsis. ibid.
Guilielmus Episcopus Bituricensis de quo Molanus. ibid.
Guilielmus alius de quo agit Arnoldus VVionius. ibid.

Guilielmus cognomento Longaspada, Dux Normandiæ. 36

H.

Hasunga Monasterium. 20. 57
Henricus fit gener Conradi Imp. 40
Henricus Spirensium Episcopus. 48
Henricus IV. 55
Hericus abbas monasterii S. Georgii. 66
Hermannus Dux Sueuiæ. 39
Hermannus marchio fit monachus Cluniac: 69
Hermanni vxor sumptus & impensas ad constituendum nouum Monasterium VVilhelmo præstat. 69
eadem offensa sanctum opus intermittit. ibid.
Heymones duco. 33
Hirsaugia floret numero insignium monachorum. 55
Hirsaugiensis Cœnobii Origo. 36
Hirsaugiensis reformatio quomodo instituta. 64
Historia de loco Hirsaugiensi mirabilis. 39
Hominum huius seculi iudicia. 89
Honorius Papa III. 34
Hugo abbas Cluniacensis. 71
Humilitas VVilhelmi Hirsaugiensis in omnibus. 6
Humilitas & patientia VVilhelmi Gellonensis. 94

I.

Iacobus Gretserus S. I. S. S. Theol. Doctor & Professor Ingolstadiensis. 64. 67. & 68.
Illustre miraculum VVilhelmi Gellonensis. 98
Imperator Hirsaugiã destrui mãdat. 25
Induitur veste Nouitiorum in modum crucis confecta VVilhelmus Gell. 93
In maiori veneratione habetur post perpetratum miraculum VVilhelmus Gellonensis. 99
Insigne miraculum in transitu VVilhelmi Gellon. 102
Inuasor possessionum cœnobij Hirsaugiensis amens redditur. 20
Iudicium S. Pontificis Gregorij VII. ex visione factum. 19
Iudæi S. Emerammum sibi vendicare volunt. 44
Iustitia non deserenda ob charitatem proximi. 10

L.

Lantbertus Theodonis ducis filius S. Emerammum crudeliter excruciari iubet. 43
Dei vindictam sentit. 44
Lauense monasterium. 66
Legatio Ratisbonam mittitur pro VVilhelmo. 2
Leo IX Pont. Max. Germaniam adiens inuisit Adelbertum comitem, quem terribilibus verbis ad restituendum monasterium Hirs: perstringit. 35
Lindbertus ab abbate Fuldensi Rabano, abbas Hirsaugiensis declaratur. ibid.
Ludouicus primus Imperator. 36. 95
Ludouicus filius Caroli M. ditat monasterium VVilhelmi Gellonensis. 95

S. Mar-

M.

S. Martini monasterium. 18. 66
Mattheus Raderus S. JESV. 68
Mirè carnem suam affligit VVilhelmus Gellonensis. 99
Misericordia VVillemi Hirsaugiensis in pauperes. 5
Missam celebrat vltimam VVilhelmus Hirs: 21
Monachis expulsis vacat Abbatia Hirsaugiensis annis LXIII. 38
Monasterij S. Emerammi origo. 41
Monasterium non assumit VVilhelmus nisi libertati integrè redditum. 2
Monasterium maius fundatur in Hirsaugia per Wilhelmum. 21
Monasterium suum etiam post mortem tutatur. 24

N.

Negligentia Gebhardi abbatis. 27
Nottingo comitis Erlafridi de Calue filio apparet S. Aurelius. 37
Nottingus cum corpore S. Aurelij itineri se accingit. ibid.
Noui Monasterij Wilhelmi, non alij artifices quam monachi. 70
Nouum monasterium quo tempore cœpit Wilhelmus construere. 69
Nudis pedibus incedit, indutus cilicio Wilhelmus Gellonensis. 92

O.

Ob memoriam passionis Dominicæ virgis caditur & flagellatur Wilhelmus Gellonensis. 100
Oddo secundus Claniacensis abbas. 70
Odilo abbas Cluniacensis. 64
Oleo sacro communicatus Wilhelmus Hirsaugiensis perungitur. 22
Opera misericordiæ Wilhelmi Gellon: erga pauperes. 80
Opera vilia Wilhelmi Gellonensis. 95
Opuscula Wilhelmi abbatis. 1. & 45
Oratio Wilhelmi Gellonensis ad S. Julianum. 91

P.

Pagina testamentaria libertatis Hirsaugiensis Monasterii à rege Henrico data. 4
Panes multiplicantur, & plures pascit Wilhelmus Hirs. it
Papa concedit priuilegium Wilhelmo 8 4. 53.
Patria Wilhelmi Hirsaugiensis. 1
Patria, genus, parentes Wilhelmi G. 77
Patriarcha Hierosolymitanus mittit Carolo Magno reliquias S. Crucis. 88
Paulus Bernriedensis scripsit vitam Gregorii VII. 64
Pauperem Wilhelmus Hirs: vestit. 15
Personas viles & idoneas ad lucrandas animas in regimen assumit. 18
Petershausen Monasterium. 18. 66
Petrus Wagner cœnobita Monasterii SS Vdalrici & Afræ & abbas in Thierhaupten. 45
Pietas Wilhelmi Hirsaug. erga infirmos & vita functos. 17
Pistrino præficitur Wilhelmus Gell. 97
Priuilegium Gregorii Papæ VII. Monasterio Hirsaugiensi concessum. 53

Visio apparet Weilhlmo Ratisbonæ adhuc monacho. 30.
Visitat fratres in Eremo Wilhelmus Hirs: 10
Vitalis interpres S. Emerammi. 41
Volfletus presbiter S. Emerammi. 42
Vta filia Theodonis Ducis. 42. stupri crimen S. Emerammo imputat. 43

VV.

VValdemarus rex Daniæ. 35
VVernerus Episcopus Argentinensis. 25. 71.
VVezilo Archiepiscopus Moguntinus Synodum celebrat contra S. Gregorium VII. Papam Moguntiæ. 57
VVezilo abbas monasterii Lauensis. 66
VVilhelmus Hirsaugiensis ordinatur abbas. 3. Romam ire statuit. 4. honorificè à Papa suscipitur. ibid. fratres increpat. 11. statum monasticum reformat. 17. infirmatur. 21. apparet cuidam Abbatissæ. 24. mandat Gebhardo. 28. diuinitus destinatur abbas. 30. monachus factus Ratisbonæ in pueritia sua. 1. amaro fit animo ex fraude comitis. 3. in artibus liberalibus eruditißimus. 45. multa monumenta relinquit. ibid. Ad Synodum Moguntinensem venire contemnit. 57. confortatur literis S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. 58 consilio Bernardi abbatis Massilienſis duos ex monachis suis Cluniacum dirigit. 64. in variis locis de suo conuentu monachos ponit & abbates præficit. 66. reformator tonsuræ & habitus monachorum. 67. beato fine perfunctus. 70. eius corporis dispositio. ibid. Romam mittit petens reliquias principis Apostolorum. 70
VVilhelmus Gellonensis fit aulicus Caroli magni 77. fit princeps primæ cohortis in rebus bellicis. 78. fit Dux Aquitaniæ. 79. producit exercitum contra barbaros. ibid. obsidione eos cingit, & Christianos ab eorum tyrannide liberat. 80. multa elargitur Monasteriis ibid. eiusdem alia res gestæ. 79. eius studia & conatus pro communi bono. 80. proponit nouum monasterium construere, & locum commodum inuenit. 81. morâ impatiens cœpit ædificare monasterium. 82 testamentum suum à rege confirmari facit. 83. reuertitur ad propria. 84. eius tœdium rerum mundanarum. ibid. pia æmulatio. ibid. reuisit Franciam regemq; Carolum. 85, Regi cordi suis cogitationes exponit. 85. eius oratio ad regem, 86. Lignum S. Crucis postulat. 88. constans permanet in proposito. 90. omnibus terrenis rebus despectis ad monasterium properat, quod ipse fundârat. 91 Inuocat S. Spiritum. 91. fit monachus. 93. strenuè laborat. 95. se dat contemplationi. 99. significat Carolo Magno se moriturum. 101. sub mortem sacra communione se munit. ibid. sanctè vitâ fungitur. ibid.
VVilhelmi nomen ad plures sanctos extenditur.

VVilhel-

Procerum & aulicorum sermo ad Wilhelmum Gellon: 89
Prologus in vitam Wilhelmi Gell. 74
Prophetia spiritu pollet Wilhelm. G. 101

Q.

Quadruuium quid sit? 46
Qua reuerentia ad SS. Eucharistiam accesserit Wilhelmus Gellon: 100

R.

Reliquiæ SS. Wilhelmo Gellon: à Carolo Magno donatæ. 89
Reliquias Ligni S. Crucis cum aliis donariis, quæ à Carolo Magno acceperat, monasterio offert Wilhelmus Gellon: 92
Reliquias de capillis S. Petri, Cluniacum quis deportarit? 23
Romæ grauiter ægrotat Wilhelmus H. 4
Romæ mirè conualescit ope B. Virginis Wilhelmus H. ibid.
Rudes in fide erudit Wilhelmus H. 14

S.

Sancti dicebantur Christiani probatæ vitæ. 24
Sancti Episcopi olim nominati. ibid.
Sancti nomen hoc loco quomodo accipiendum. ibid.
Sancti nomen olim latius acceptum. 30
Saraceni Christianos expugnare conantur. 76
Schaffhausen cœnobium. 18. 63
Seculo valedicturus Wilhelmus Gellonensis multas eleemosynas erogat pauperibus & ecclesiis. 98
Sifridus Archiepiscopus Moguntinus fundat monasterium Haßungæ. 37
adit Galatiam ad S. Jacobum ibid.
Cluniaci monachum profitetur. ibid.
Archiepiscopatum inbente abbate cipit. ibid.
Sigibaldus vitiat Vtam filiam Theodonis. 42
Signo S. Crucis munitus, clibanum ardentem ingreditur Wilhelmus G. 98
Simpertus Episcopus perficit monasterium S. Emerammi. 45
Singularitatem in cibo & potu recusat Wilhelmus Gellon. 100
Solenniter excipitur à fratribus Wilhelmus Gellon: 92
Sorores S. Wilhelmi Gellon. cupiunt renunciare sæculo. 83

T.

Theobaldus Episcopus. 34
Theodo Dux Bauariæ. 41. 42
Theodoricus pater S. Wilhelmi G. 77
Totis noctibus perseuerat in oratione Wilhelmus Gellon: 100
Triuium quid? 46

V.

S. Vdalricus Episcopus Augustanus, 28. 71.
Veritas reliquiarum S. Petri ostenditur. 23
Vindicta Dei contra abbatem Gebhardum. 28
Vinum miraculosè augetur. 11
Visio apparet cuidam seniori. 27
Visionibus quæ fides adhibenda. 29

Visio-

Wilhelmus abbas in Dania. 34
Wilhelmus abbas Divionensis. 36
Wiltrudis comitissa. 51

Errata potiora.

Folio 39. versu 12. tugurico. lege tugurio.
fol. 57 §. 3 peccarat. lege peccaret. f. 60 §. 10. illâ. l. illa. f 61. §. 1. confidentibus. l. confitentibus f. 64. §. 8. nobis. l. notis. eodem. §. 9. Cretserus. l. Gretserus.

Cetera per incuriam commissa facilè prudens lector ipse corriget.

FINIS.

Zan)



B. LVDOVICVS BERTRÃDVS
ORDINIS PRÆDICATORÛ.
Beatificatus Anno 1608. 19 Aprilis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

COMPENDIOSA RELATIO VITÆ EXIMIAE SANCTITATIS VIRI, Fr. LVDOVICI BERTRANDI SACRI ORDINIS PRAEDICATORUM Anno 1608. à SS. Domino PAVLO, diuina prouidentia Papa huius nominis V. beatificati, cum reſcripto Beatificationis. Summariè collecta

PER Fr. COSMAM MORRELLES, SS. THEOLOgiæ Magiſtrum, eiuſdemque Ordinis in Gymnaſio conuentus Prædicatorum Coloniæ Regentem & Profeſſorem.

NON fuit intentionis noſtræ, quod te primùm, Pie Lector, admonere volumus, quis qualiſque toto vitæ curſu B. Ludouicus Bertrandus fuerit præſenti ſermone commemorare: ſed nec illa quidem, quorum certam & indubitatam notitiam non nuper aliundè accepimus, ſed in illis ipſis locis, vbi Sanctus vir diu vixit, iam pridem hauſimus. tam compendioſo operi potuerunt omnia inſeri. Eſt enim vita B. Ludouici non vno vel altero tantum inſigni facto conſpicua, ſed plurimis eximiæ ſanctitatis exemplis, innumeris præterea, quæ per eum Diuina virtus operata eſt, in vita & poſt mortem, miraculis illuſtrata, vt proinde magno volumini ſcribendo copioſam materiam ſubminiſtret. Ex multis igitur pauca collecta hic enarramus, ſed talia nihilominus, vt ex illis liceat pio Lectori cæterorum magnitudinem & præſtantiam aliquo modò æſtimare: quod faciet vtiq; multò certiùs ac ſecuriùs, ſi ex impreſſa fronti hu-

tibuius pagina figura externum Beati vultum quis metiatur quam etsi archetypo suo non vndequaque nouerim conuenire, tamen quia excerpta est ab illa imagine, quam sanctus vir ipsemet menti ac memoriæ meæ impressit (vidi enim adhuc viuentem sæpeq; gloriosè concionantem audiui) etiam illam, quæ hic apponeretur non indignã iudicaui. Fuit Ludouicus Bertrãdus natione Hispanus, honestis admodum & honoratis parentibus, Ioanne Bertrando & Ioanna Angela, Valentiæ quæ coronæ Aragonum florentissima & amplissima ciuitas est, natus: eius familiam propter egregias virtutes, & excellentiam Bertrãdorum erga se merita, singulari munificentiæ genere Resp. ad Patritiorum gradum euexit. Ablutus autem fuit eodem baptismatis fonte, in parochia S. Stephani, quo antè ipsum D. Vincẽtius ille, cuius voce ceu angelica tuba & Apostolicis prædicationibus totus ferè Christianus orbis quondam personuit. Modestia verò animi singulari & pietate erga Deum sincera & constanti tanquam præcipuis dotibus ab ineunte ætate floruit: vt iam tum parentes alijq; magnum aliquid & excellens de illo sibi pollicerentur. Humanioribus deinde litteris imbutus, vt mundanos laqueos & pericula declinaret, Prædicatoriæ familiæ nomen dedit, in qua prompte semper humiliterq; obediendo, macerando plus quàm credibile sit, carnem, in cibo potuq; summã parcitatem seruando, in breui imitatione omnium & admiratione dignus euasit. Consecratus tandem sacerdos admirabilem planè vim ac gratiam in exponẽdo Dei verbo nactus est: erat q; illius sermo, neglecta specie verborum inani, præcipuè ad permouendos audientium animos comparatus, atq; ita efficax & potens, vt etiam durissima quæq; corda illi cederent. Post quã verò his aliisq; sanctis exercitationibus virtutẽ in se stabiliuisset ac perfecisset maiora ac difficiliora quædã certamina aggredi cupiebat, quorum desiderio obtẽta à superioribus licentia, occidentales illas regiones, quas Indiam vocant, in quibus nouũ Christo populũ acquiri nouerat, petijt.

Ibi continuas afflictiones, labores, pericula, iniurias sustinēs, p illius gentis salute recuperanda, Christū q; ethnicis euangelizās, maximā infidelium multitudinē ex superstitione ac errore ad veri Dei culū pertraxit. Nec mirū: vtpotè cuius doctrinā signis ac miraculis euidentissimis sæpissimè Deus dignabatur cōprobare. Relictis aliys quā plurimis duo recēsebo a modū illustria. Cū quodā die in loco, vbi maximo numero infideles adeū audiendū conuenerāt, Euangelicā illis veritatē annuntiaret, & illi nō aliter eius se verbis credituros dicerent, nisi quod illi darent efficacissimū venenū bibisset, et in suæ fidei testimoniū incolumis euasisset, ille gauisus oppidò tā opportunā sibi glorificandi Deum occasionem datā, hausit intrepidè oblatum, & sine salutis suæ detrimento, spirituale plurimis eo facto salutē acquisiuit, ijs scilicet, qui huius signi euidētia commoti Catholicæ fidei articulis deinde firmū assensum præbuere. Venenum autē illud diu retentū in corpore, rursus in forma serpentis euomuit. Alio tēpore infantē suū fœmina quædā ad B. Ludouicū attulit vt ab eo baptisma reciperet, quod cū ille eidē cōtulisset, baptizati parēs, quo ignorāte id actū erat, supuenit, arreptū q; puerū, barbaro furore insaniēs, ex alto mōte proiecit & illisit in terrā, ita vt nullū eius membrū nō comminutū et confractū esset. Quo tā flebili spectaculo perculsa mater cū propè vnà p dolore interiret, Vir sanctus hinc inde disiectū corpusculū collegit et coaptauit: deinde fusa breui super idē oratione, facto q; signo crucis, integrū ac vtuū matri puerū restituit. Hoc pacto nimirū plures annos in excolēda vinea Domini fœlicissimè laborauit, donec tā superioribus visum est eū ad se reuocare. Redeunte autē illo per mare cū multis aliys simul in Hispaniā nauigantibus, quorū plerig; mercatores fuerunt, tēpestas periculosissima in mari orta erat & ab omnibus salus tā penitus desperata: tū B. Ludouicus aliorū precibus & afflictione cōpulsus, superiorē partē nauis ascēdit, infestū q; mare respiciēs formato signo ✠ subitò trāquillū illud reddidit. Quo factū est, vt

cum ad portum Valentinum tãdem illæ naues appulissent, admodum multi ex nauibus descendentes continuo ad Fratres Prædicatores concurrerent, quis qualisq; vir cum ipsis eò venisset ijs nũciantes & perpetrati hãc tã celebris miraculi famam tota vrbe disseminarent. Sic ergo B. Ludouicus, non peregrinis indorum mercibus, vt cæteri, onustus, sed inæstimabilibus laudatissimorum operum meritis refertus ad superiores suos incolumis, reuersus est, siue ire nimirum siue redire illi præciperent, indiscriminatim obediens. Ex eo tempore licet etiã ante semper de ipsius sanctitate magna apud viros graues opinio extiterit, tamẽ multò iam latius fulgor illius se diffundere & omnibus conspicuus esse cœpit. Vnũ autẽ in hoc Dei seruo sicut ei quasi proprium, ita valde mirandum fuit quod impendentes ac inopinatos mortis casus plurimorum, qui sibi diuinitus fuerant præmonstrati, prædixit, de ijs illos quibus imminebant præmonuit. Inter quos vnus erat Reuerend. & Illustris D. Ludouicus Vicus Choriepiscopus Ecclesiæ Cathedralis Valentinæ, cuius ædes duobus diebus ante diem Natalẽ Domini B. Ludouicus accessit: & cum illum in præparandis quibusdam quæ pro instanti solemnitate erant, cum famulis suis occupatum offendisset, habere se, de quibus secretò cum illo loqueretur, ei indicauit. Chorepiscopus ergo Ludouicum ad proximum cubiculum, vbi nemo erat, abduxit: ibi cum essent, B. Ludouicus se adhuc secretiori & à domesticis remotiori in loco cum illo agere velle dixit: tunc alter expauescens & admirans, in partem magis retrusam domus cum eo secessit vbi cum ambo essent, B. Ludouicus, Scito, inquit, complacuisse diuinæ Bonitati te propediem ex hac vita euocare ad se, vt in Natali suo cum electis suis in cœlesti regno reficiat. Præparare igitur te oportet ad fœliciter hinc migrandum, & siquid aut tibi adhuc restat exequendum, citò expedias. Dominus ille, li. et omnino sanus tunc esset, tamen quia simile quippiam aliis.

aliis quoq; contigisse iam compererat, nec de B. Ludouico quòd falsum diceret, suspicari poterat sine vlla dubitatione credidit quod ei dictum fuit. Compositis ergo celeriter negotiis domus suæ, suscepit reuerenter ac solicitè Ecclesiastica Sacramenta, mortemq; ita præmunitus expectauit. Mirantibus cunctis, cur hoc faceret, nemini rem detexit. Inuasit igitur mox illum febris, cuius vehementia, citò ad extrema deductus, quid sibi accidisset paulò ante mortē, omnibus aperuit: eo peracto lætus è vita discessit. Simili gratia hominum quoq; conscientias & mentis arcana introspexerat, & prout saluti vniuscuiusq; conducebat, de peccatis occultissimis plurimos admonebat ac reprehendebat, etiamsi talia essent, quæ præter authorem suũ & Deum alius mortalium nemo cognoscere potuisset: imo adhuc ex iis vnus Valentiæ viuere comprobatur, qui palam omnibus contestatur, peccatum quoddam, quod sibi & Deo tantummodo manifestum esse poterat, & ter ipse B. Ludouico confitens propter verecundiam reticuerat, sibi in tertiâ illâ confessione ab eo fuisse obiectum. Conuentui Valentino tribus annis præfuit, vtendo semper in regimine suo magna seueritate & rigore, quo minimos quoque lapsus & errata corrigebat ac puniebat. Talis etiam fuit, dum officio Magistri Nouitiorum fungebatur, quod multos annos cum summa vtilitate gessit: Dexterrimus vero in explorandis nouitiorum animis, & vt cognosceret quo quisque spiritu ductus, Religionē esset ingressus, mirâ industriâ & sagacitate consequebatur. Exercebat autem illos diurnis nocturnisq; laboribus, & variis afflictionibus probabat, & vt molestiam difficultatemq; quotidianorum & visitatorum onerum non sentirent, insolitis quoque & extraordinarijs assuescere cogebat. Appropinquante tandem vitæ termino cum in lethalem morbum B. Ludouicus incidisset, vna cum Priore & religiosis compluribus aliqui Ciuitatis viri illustres morienti astiterunt: ipse autem Priori aliisq; senioribus

ribus religiosis Conuentus aliquot Fratres eiusdem magno affectu charitatis commendabat, eosq; sanctos & potentes apud Deum pro toto Ordine & Ecclesia Catholica intercessores esse manifestabat: qui omnes deinde post ipsum fœlicissima morte vitam terminauerunt, quidam etiam miraculis claruerunt, è quorum numero est Reuerendus P. Dominicus de Anadon qui quatuor primum ab hinc annis sanctitate & miraculis celebris ex hac vita migrauit. Post quam deinde sancta anima egressa est è corpore, subitò tota vrbe Ludouici mors nunciata fuit, & noctu ingens multitudo hominũ ad cœnobiũ confluxit. Eodem tempore quo moriebatur, supra cellã illius magna quadam claritate cœlum resplenduit. Sequenti die corpus habitu Ordinis, vt mos est, vestitum in templo collocatum fuit, operãte circa illud Diuinã Maiestate multa miracula, vbi pluribus diebus vt populi deuotioni satisfieret, mansit: interea cũ nullo artis adminiculo id fieret, suauissimum insuper odorem exhalabat, membra omnia licet mortua mobilitatem ac flexibilitatem viuorum retinebant. Maxima deuotione populi adhuc hodie colitur, plurimiq; intercessione ipsius infirmitatibus variis eripiuntur. Quibus rebus sibi fideliter relatis Sedes Apostolica tribus Episcopis curã commisit de vniuersa illius vita informationẽ recipiendi. Quo diligenter peracto processus Romam delatus, & causa omnis à Sacra Congregatione Rituum in Contradictorio iudicio cognita & agitata est vrgente processum nomine totius Regni Valentini Reuerendissimo P. Ludouico Ystella magistro S. Palatij atque ita demum sanctissimus Dominus Noster Paulus Papa huius nominis quintus illum Beatum declarauit anno 1608. 19. Aprilis, vt ex testimonialibus litteris subiunctis, quæ ex originalibus ad verbum fideliter translatæ sunt, constat tenoris sequentis

VNiuersis & singulis præsẽtes inspecturis, lecturis, & audituris salutẽ in Domino sempiternã. Cum ob excellentiam

tiã & ſanctitatẽ vitæ bo.me. Fr. LVDOVICI BERTRANDI *Valentini Ordinis Prædicatorum, at q. ob miraculorũ coruſcatione, quæ omnipotens, & miſericors Deus, præter conſuetum naturæ vſum eius meritis & interceſſione tã dũ viueret, quã poſt eius felicẽ in Domino obdormitionẽ operari dignatus eſt, Sereniſſimus Philipus Tertius Hiſpaniarum Rex Catholicus, Regnũ Valentiæ, nec non vniuerſus Prædicatorũ Ordo ſanctiſ. D. N.* PAVLO *Papæ V. humiliter & iteratis precibus ſupplicauerint, vt ad cõſeruandam & augendã populorũ deuotionẽ, quæ maxima vbiq. exiſtit, & præcipue in Corona Aragoniæ erga ipſum bo. me. Fr. Ludouicum ob innumeras eius meritis receptas à Deo gratias, quas ſpecialiter & peculiariter ipſemet Sereniſs Rex Catholicus accepiſſe fatetur, Sanctitas ſua dignaretur cõcedere, vt donec dictus bo.me. Fr.* LVDOVICVS *in ſanctorũ numerũ referatur, B. nũcupari poſſit & debeat, ac de eo veluti de B. feſtum celebrari, & Miſſa at q. Officiũ recitari liceat tanquam de vno Confeſſore non Pontifice in Corona Aragoniæ & per vniuerſum Ordinẽ Prædicatorũ. Et cũ idem ſanctiſs. D. N. negotiũ hoc mature diſcutiendũ & examinandum ad Sacrã Rituum Congregationẽ remiſerit, in qua proceſſus legitime & auctoritate Apoſtolica confecti de vitæ sãctitate, puritate fidei, ac miraculorũ coruſcatione eiuſdem bo me. Fr.* LVDOVICI *præſentati fuerũt, & diligenter ab illuſtriſs. & R. D. Card. Seraphino de eiuſdem Congregationis ordine examinati; quorũ etiam compendiũ ſiue ſummarium per manus ſingulorum* DD. *Card. eiuſdẽ Congregationis tranſmiſſum fuit. Audita tandẽ relatione prædicti Illuſtriſs. & R. D. Cardinalis Seraphini de præmiſſis facta in eadem Congregatione die decimanona præſentis menſis Aprilis, cum ex dictis proceſſibus ſatis & abundantiſſime cõſtet de puritate fidei, ſanctitate vitæ, miraculorum q. operatione eiuſdẽ bo.me. Fr.* LVD. BERT. *itavt etiam ev eiſdem poſſet ad actualem canonizationem deueniri.*

Eadem

Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit (si sanctiss. D. N. placuerit:) vt ipse Frater LVDOVICVS *in posterum* BEATVS *nuncupari possit & valeat, de q. ipso, tanquam de Beato in Ciuitate & Regno Valentiæ officium & Missa sicut de vno Confessore non Pontifice anniuersario eius obitus die à Fratribus & Religiosis vtriusque sexus eiusdem Ordinis licite ac libere recitari possit & valeat. Et idem Sanctissimus D. N.* PAVLVS *Papa V. audita super præmissis omnibus relatione eidem in Consistorio secreto à nobis facta die infrascripto: annuit, sententiam q. Congregationis approbauit, ac indulsit & concessit vt de Beato* LVDOVICO BERTRANDO *in Ciuitate & Regno Valentiæ in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs Fratrum, atque Monialium eiusdem Ordinis Prædicatorũ ab ipsis Fratribus & Montalibus die decimanona mẽsis Octobris, quo die eius obitus solemnis memoria celebratur singulis annis, Officium & Missa de communi vnius Confessoris non Pontificis secundum ritum & consuetudinem sui Ordinis recitari & celebrari libere & licite possit & valeat.* IN QVORVM *Omnium & singulorum fidem & testimonium præsens per infrascriptum eiusdem Congregationis Secretarium fieri iussimus, & manu nostra propria subscripsimus, nostriq; solitj sigilli appensione muniri fecimus. Romæ in Palatio nostræ solitæ residentiæ die vigesima prima mensis Aprilis 1608. Pontificatus verò eiusdem Sanctissimi* D. *N.* PAVLI *Diuina prouidentia Papæ V. anno tertio.*

Dominicus Episcopus Ostien. Card. Pinellus.

V. Casanoua Vicarius Generalis & Offic. Valen.

I. P. Mucantius Secretarius Congregationis.

Cùm præinsertæ litteræ Beatificationis B. Ludouici Bertrandi concordent fideliter cum suo originali, simulq; veritas relatorum de ipsius vita & miraculis nobis præmisso diligenti examine sufficienter constet, dignum iudicamus vt ad laudem Dei, SS. suorum exaltationem, & fidelium ædificationem imprimatur & diuulgetur.

Fr. Gisbertus Specthius. SS. Theologiæ Magister, inquisitor hæreticæ prauitatis, Prior Prædicat. Coloniæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

COLONIAE AGRIPPINAE
Typis Arnoldi Kempensis.
ANNO M. DC. IX.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf